Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468678-p0001-9

P. b. 84

803 Lh

Theol. P. VIII. 955
629

4

D. O. M. A.

DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ

Ex dicto Apostolico

1. Joh. 5. v. 7.

Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt:

PRÆSIDE

JOHANNE GERHARDO
S. THEOLOGIÆ D. ET P.
in Academia Jenensi,

Publicè institutæ

PARS POSTERIOR

MYSTERIUM ὑπεραγίας τριάδος

ex eo asserens

Cujus defensionem 29. Maii

In Auditorio Theologico suscipiet

M. ISAACUS FROEREISEN Argentoratensis, Ampliß. Facult. Philosoph. Adjunctus.

JENÆ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M, DC. XIX.

VIRIS

Admodùm Reverendis, Clarißimis, pietate, virtute & eruditione Excellentißimis,

Dn. Johanni Bechtoldo

SS. Theologiæ D. & ejuſdem in Academia patria Prof. Primario totiusq; conventus Eccleſiaſtici Præsidi digniſsimo,

ut et

Cæteris Dnn. Paſtoribus,

Eccleſiaſtis, & venerandi Miniſterii Eccleſiaſtici, quod eſt Argentorati, Symmiſtis vigilantiſs,

Dn., Præceptori, Fautoribus & Promotoribus meis debito obſervantiæ cultu proſequendis

Hoc γύμνασμα Theologicum ſacrum nuncupo

M. Iſaacus Fröreiſen Argentoratenſ. Ampliſs. Colleg. Phil. Jenenſis Adjunctus.

THESIS I.

VIndicavimus hactenus Canonicam dicti Johannæi de tribus in cœlo testib. autoritatem, consequens est, ut Trinitatis mysterium ex eodem demonstremus, atque hac ratione ad usum Theoreticum in διδασκαλίαν & ἔλεγχον positum illud applicemus; cui postea brevibus etiam practicum ejusdem usum subjungemus. Proponimus autem hoc generale Theorema. Quicquid de augusto ὑπερφυοῦς Τριάδος mysterio in sacris literis docetur, illud in hoc dicto nervosâ ac mirandâ brevitate comprehenditur, id quod ex sequenti διεξόδῳ erit principium. Deducitur n. ex hoc loco. 1. Vocabulum *Trinitas*. Veteres AntiTrinitarii, præsertim Ariani contra orthodoxos semper urgebant, ne nomen quidem Trinitatis ac ὁμοουσίας in sacris literis extare, frustra igitur pro fidei dogmate illud Ecclesiæ obtrudi, ut constat ex verbis Arii in disp. cum Athanasio coram Probo Laodiceæ habitâ tom. 2. pag. 373. *Cur Apostolicæ fidei*, ait, *superadjicitur verbum, cujus nec Prophetæ nec Apostoli mentionem faciunt*. Eorum vestigiis insistunt recentiores Photiniani, qui itidem sic colligunt. *Nusquam in Scripturis sacris* κατὰ ῥητὸν *dicitur esse tres personas ejusdem divinæ essentiæ, sive esse in divinis Trinitatem. Ergò dogma de Trinitate non est fidei articulus*. Nic. Paruta thesi 1. citantibus Posnanensibus assert. 16. Resp. 1. non ea solùm in sacris literis extare censenda sunt, quæ κατὰ ῥητὸν totidem verbis in illis proponuntur, sed etiam quæ legitima & necessariâ consequentia ex illis deducuntur, sicq; κατὰ πρᾶγμα in illis continentur. Idipsum suo loco latiùs confirmatur, hîc propriam adversariorum confessionem urgemus. Ostorod. in Inst. p. 65. *Dicimus nequaquam sequi, etiamsi verba illa, quod Deus Christum*

Usus dicti Apostolici 1. *Theoreticus.*

Ex eo n. probatur 1. Trinitatis nomen,

ſtum fecerit Deum, in ſacra Scriptura juxta literam non legantur, quod propcerea non ſit factus Deus, &c. Schmaltz. contra D. Frantz. diſp. 7. p. 241. *Jure dicere potuit Jeſus dictum id fuiſſe* (odio habebis inimicum) *quia ſenſus horum verborum in lege inerat. Quæ enim ex libro aliquo neceſſariò deduci poſſunt, ea in illo ſcripta eſſe jure dici poſſunt.* Contra D. Grauerum de Spir. S. pag. 4. de conſequentiis verba faciens addit. *Sic pro verbo Dei admittantur, quæ ex illo legitimè deduci poſſunt, quod nos planè confitemur.* in reſp. ad nov. monſtr. Smigl. p. 176. *Etiam ea vera, imò in Scripturis & pro Scriptuuis habenda eſſe, quæ ex illis neceſſariò colliguntur, nemo neſcit.* Huic confeſſioni addatur ipſa praxis. Docent Chriſtum eſſe factum Deum, eundemque bis aſcendiſſe in cœlum, nec tamen καὶ ῥητὸν quicquam horum in Scripturis legitur. Propugnant liberum arbitrium, atq; ita quidem propugnant, ut contrariam ſententiam ejuſmodi judicent dogma, quod per ſe omnem pietatem ac religionem peſſundare poſſit. Socinus in libr. quod regni Polon. homines, &c. p. 15. at vox liberi arbitrii nuſpiam in ſacris literis occurrit. 2. Non petulanti aliquâ novitatis affectatione vocabula Trinitatis ὁμοουσίας, &c. à piis veteribus ſunt uſurpata & jure civitatis Eccleſiaſticæ donata, ſed loquendi quadam neceſſitate ad hæreticorum inſidias & fraudes patefaciendas, unde Arii objectioni Athanaſius l.d. p. 374. ſic reſpondet. *Eccleſiaſticæ ſemper moris eſt diſciplinæ, ſi quando hæreticorum nova doctrina exurgit, contra inſolentes quæſtionum novitates rebus immutabiliter permanentibus nomina ac vocabula immutare, & ſignificantius rerum Naturas exprimere, quæ tamen exiſtentium cauſarum virtutib. congruant, & quæ magis eas dem antiquitus fuiſſe demonſtrent, non ortus novitatem menſurent.* Idipſum multis exemplis confirmat, utpote quod illi, qui Chriſto credebant, progreſſu temporis dicti fuerint *Chriſtiani*, qui prius dicebantur *diſcipuli*, ut à ſectatoribus Pſeudo-Apoſtolorum diſcernerentur, quòd Patri primæ in divinis perſonæ propter hæreſin Sabellianam nomen *innaſcibilis* Eccleſiæ impoſuerit, quod contra Photinum Filius *Deus ex Deo, lumen ex lumine* fuerit dictus, quod contra Eunomium *ſimilem Patri Filium* in creberrimis Conciliorum decretis ipſimet Ariani ſta-

statuerint,&c. postea addit. *Contra insolentes & furtivas hæreticæ intelligentiæ pravitates quædam confessionis nomina non temerè præsumta, sed ex consequenti ratione collecta fidei autoritatibus fuisse inserta, ita ut tot novorum verborum religioso intellectui extiterint absolutiones, quod fuerint quæsitæ vel subministratæ perfidiæ occasiones.* Cui consonat illud Thomæ p. 1. q. 29. art. 3. *Ad inveniendũ nova nomina antiquam de Deo fidem significantia cogit necessitas disputandi cum hæreticis.* Res eò redit, quod pii veteres in disputationibus contra hæreticos novos & peculiares quosdam terminos assumserint, partim *uberioris explicationis*, partim *melioris distinctionis*, partim *solidioris ac plenioris refutationis* causâ. 3. Socinus ipse agnoscit, in argumento ex nominis omissione ducto non esse magnum robur, sic enim scribit in animadv. ad 16. assert. Posnan. num. 1. *Quod nomen Trinitatis in sacris literis non extet, hoc tanquam indicium quoddam falsitatis adversariorum sententiæ dictum aliquando à nostris fuit, non autem quod pro solido argumento ad eos refutandos id dicerent.* 4. Quamvis totidem literis ac syllabis Trinitatis nomen in abstracto in sacris literis non habeatur, extat tamen in concreto, ex quo non laboriosâ sed facili, non longè petitâ sed proximâ, non obscurâ sed perspicuâ, non dubiâ, sed immotâ consequentiâ elicitur. Dic enim tres esse unum in concreto & reipsâ dixisti Trinitatem in abstracto. Quid enim aliud est Trinitas, quàm *trium unitas*, nimir. si respicere velimus significationem, in qua Ecclesia hoc vocabulo utitur, quippe quæ Trinitatis nomine personarum pluralitatem ita exprimit, ut indivisam essentiæ unitatem simul includat. Jam verò Apostolus disertè asserit, tres illos in cœlo testes, de quib. agit, esse unum, ergò reipsâ dicit, dari in divinis Trinitatem. Si dicas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse verum Deum, Sabellius hoc ita accipit, ac si tria tantùm nomina, non autem tres realiter distinctæ personæ in una Deitatis essentia statuantur. Si dicas tres esse in Deitate personas, Tritheita illud ita accipit, ac si tres Deos introducas. Dic in una indivisa Deitatis essentia personarum Trinitatem dari & breviter expresseris, quod in Scriptura de hoc mysterio patefactum & fraudes hæreticæ pravitatis detexeris. 5. Deniq; & hoc addimus. Nolumus

vim facere in verbis, ſed agnoſcant adverſarii & ſincero corde nobiſcum profiteantur, Patrem eſſe verum & æternum Deum, Filium eſſe verum & æternum Deum, Spiritum ſanctum eſſe verum & æternum Deum, nec tamen tres Deos, ſed unum eſſe verum Deum & reipsâ dixerunt, quod nos Trinitatis nomine breviter complectimur.

2. *Perſonarum in divinis pluralitas.*

2. 2. *Perſonarum in divinis pluralitas.* Non enim unum, ſed plures in cœlo teſtes D. Apoſtolus ſtatuit, & poſtea addit. *Si teſtimonium hominum recipimus, teſtimonium Dei majus eſt,* ubi illorum trium in cœlo teſtium μαρτυρίαν, vocat Dei μαρτυρίαν. Utiq; ergò in Deitate plures perſonas ſtatuit. Quemadmodum enim ex eo, quod tres in terra teſtes ſtatuit, rectè infertur, quod non ſolùm unitatem, ſed etiam pluralitatem illis tribuat: ita ex eo, quod tres in cœlo teſtes Apoſtolus ſtatuit, rectè colligitur, quod non ſolùm unitatem reſpectu eſſentiæ, ſed etiam pluralitatem reſpectu perſonarum illis tribuat. Ubi non unus tantùm, ſed tres teſtes ſtatuuntur, ibi datur quædam pluralitas. In divinis non unus tantùm, ſed tres teſtes ſtatuuntur. Ergò datur quædam pluralitas. Obſervandum & illud, quod teſtimonium trium in cœlo teſtium per collationem imparium confertur cum teſtimonio hominum. *Si teſtimonium hominum recipimus*, inquit, *teſtimonium Dei* (trium ſc. illorum teſtium, quorum in v. 7. facta eſt mentio) *majus eſt*, ex quo ſic concludimus. Si in teſtimonio hominum pluralitas quædam ſtatuitur, utiq; etiam in Dei teſtimonio pluralitas agnoſcenda. Ratio connexionis pendet ex collatione teſtimonii Dei cum teſtimonio hominum, in qua reſpicit Apoſtolus ad legem divinam. Deut. 17. v. 6. cap. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16. *In ore duorum vel trium teſtium conſiſtet omne verbum.* Atqui in teſtimonio hominum pluralitas quædam ſtatuitur non ratione objecti, ipſius ſcilicet rei, de qua teſtificantur, ſed ratione perſonarum teſtificantium. Ergo etiam in teſtimonio Dei pluralitas quædam agnoſcenda, ratione ſc. perſonarum teſtificantium.

3. Excipiunt Photiniani, *verba illa, teſtimonium Dei majus eſt, etiam de his, qui in terra teſtantur, accipi poſſe, qui tamen non ſunt teſtes Naturâ & eſſentiâ divini, ergô non poſſe ex illis verbis pluralitatem teſtium, quorum quilibet Naturâ & eſſentiâ*

Deus

Deus sit inferri. Resp. 1. Quodnam testimonium Dei Apostolus intelligat, disertis verbis ipsemet exponit, quando addit. *Quoniam hoc est testimonium Dei, quod testificatus est de Filio suo,* quæ verba digitum intendunt ad immediatum illud Patris de Filio testimonium in Baptismo cœlitùs delatum. *Hic est Filius meus dilectus,* Matth. 3. v. 17. 2. conferimus etiam cum hoc loco Johannis, verba Christi. Johan. 5. v. 32. *alius est, qui testimonium perhibet de me,* quis verò ille sit, statim exponitur, quando non solùm de Johanne dicit, *quod testimonium perhibuerit veritati* vers. 33. sed etiam ad Patris cœlestis testimonium provocat v. 37. *qui misit me Pater, ipse testimonium de me perhibuit,* voce scilicet cœlitus delatâ, ut ex antecedentibus in quib. operum divinorum fit mentio, ex forma verbi præteriti μεμαρτύρηκε, & ex consequentibus, in quibus de voce Patris meminit, manifestè colligitur. 3. adjungimus insuper locum Johan. 8. vers. 16. *Non sum ego solus, sed ego & qui misit me Pater,* vers. 17. *& in lege vestrâ scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est,* v. 18. *ego sum, qui testimonium perhibeo de meipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me Pater.* Quis non animadvertit Johannem ad hæc Christi verba digitum intendere? ex illis ergò sic colligimus. In immediato illo Dei testimonio pluralitas ratione scilicet personarum testificantium statuitur, quod Pater de Filio & Filius de seipso dedit. Atqui in illo testimonio producuntur tales testes, qui Naturâ & essentiâ sunt divini. De Patre Photiniani hoc negare non possunt, de Filio alibi idem demonstratur. E. in illorum testimonio, qui Naturâ & essentiâ sunt divini pluralitas quædam statuitur, quæ cùm non sit essentiæ, quippe cujus ratione dicuntur unum, relinquitur, quod sit personarum. 3. Si Apostolus tres in cœlo testes statuens non loqueretur de talibus testibus, qui Naturâ & essentiâ sunt divini, non posset eos à testib. in terra distinguere, quippe quorum testimonium suo modo ac respectu itidem est divinum, mediatum scilicet, ne ternario numero pluralitatem illam exprimeret, quia præter hos testes Naturâ & essentiâ divinos in cœlo sunt etiam Angeli, sunt Moses, Enoch, Elias, &c. At manifestè conspicimus tres hosce in cœlo testes à testibus in terra distingui, & eorum pluralitatem numero ter-

ternario exprimi. Ergò sermo est de testibus Naturâ & essentiâ divinis. 4. Si vel maximè verba illa, *Si testimonium hominum recipimus testimonium Dei majus est*, etiam tribus in terra testib. sicq; utriq; testium classi accommodare velimus, tamen res ipsa ostendit, diversimodè id esse faciendum ac discrimen aliquod inter testes in cœlo & in terra omninò relinquendum. Tres enim testes *in cœlo*, ideò distinctè enumerantur, & à tribus in terra testibus distinguuntur, quia sunt testes divini non participatione aliquâ Deitatis per gratiam, sed per Naturam & essentiam, quâ ratione etiam distinguuntur à tribus in terra testibus, qui non sunt eo modo divini testes, quo illi tres in cœlo (nisi per Spiritum tertium in terra testem itidem intelligamus Spiritum sanctum tertiam Deitatis personam, qui tamen quatenus tribus in terra testibus conjungitur, consideratur non ratione illius immediati testimonii, quod de Christo dedit descendens super ipsum in Baptismo, nec ratione essentiæ, juxta quam cum Patre & Filio est unum, sed ratione mediati illius testimonii, quod per verbum & Sacramenta de Christo perhibet ac ratione officii, quod in terris adhuc per ministerium exercet) 5. Quia cœlum *Dei sedes*, Psal. 2. v. 4. Esa. 66. v. 1. &c. ideò cœli nomine Deus ipse quoad Naturam divinam designari solet. Matth. 21. v. 22. *Baptismus Johannis, num erat ex cœlo, an ex hominibus?* h. e. num à Deo institutus, an humano arbitrio excogitatus. 1. Maccab. 3. v. 60. *Sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat*. cap. 12. vers. 15. *habemus auxilium ex cœlo*. Quando ergò Johannes tres *in cœlo* testes statuit, pluralitatem inter eos testes statuit, qui sunt Naturâ & essentiâ divini testes.

4. *Personarum Trinitas.*

4. 3. *Personarum Trinitas.* Non enim plures nec pauciores quàm tres in cœlo testes Apostolus numerat, ex quo ita colligimus. Quot sunt in cœlo testes propriè dicti, tot etiam sunt personæ divinæ. Jam verò tres sunt in cœlo testes propriè dicti. Ergo etiam tres sunt personæ divinæ. Major probatur, quia testem esse propriè competit personæ, ac quia Patrem & Filium esse duas distinctas personas Photiniani concedunt, ideò negare non possunt, duos ex his in cœlo testibus esse personas, de tertio teste, videlicet Spiritu sancto, idem paulò pòst de-

demonſtrabitur. Dicit Apoſtolus, eſſe τρεῖς, ergò non eſt una tantùm perſona, quæ tribus nominibus appelletur, ac propter diverſos teſtificandi modos tres teſtes eſſe dicatur. Sicut Servetus nugabatur, *unam eandemq; perſonam Patris, quia & ſermone teſtificatus ſit de Jeſu, quod ſit ſuus Filius, & quià hunc ſermonem obſignaverit variis Spiritus ſui operibus ac donis, tres teſtes appellari.* Ecquis enim de uno eodemq; homine, qui de aliqua re teſtificatur, ſuumq; teſtimonium ſcripto & ſigillis confirmat, aſſerere velit aut poſſit ipſum eſſe tres teſtes propter triplicem teſtificandi modum? Ergò præter Patrem duo alii in cœlo teſtes ſtatuendi tanquam diſtinctæ à Patre perſonæ, præſertim cùm Apoſtolus in plurali dicat, quod hi tres *teſtificentur*, ac diſertis verbis explicet, quinam ſint illi teſtificantes, videlicet *Pater, Verbum & S.S.* Excipiunt Photiniani, *ſtatui etiam tres in terra teſtes, qui tamen non diſtinguuntur perſonaliter.* Reſp. 1. Sufficit nobis, quòd ex enumeratione trium in terra teſtium eorundem Trinitas itidem inferri poſſit, quamvis enim non eodem modo in ſpecie ſeſe habeat Trinitas teſtium in cœlo, & Trinitas teſtium in terra, tamen in genere utrobique occurrit Trinitas. 2. Quemadmodum igitur rectè concluditur: Tres in terra teſtes ſtatuuntur: Ergò dantur tres teſtes realiter diſtincti: Ita quoq; rectè inferimus. Tres in cœlo teſtes ſtatuuntur. Ergò dantur tres teſtes realiter diſtincti. 3. Quamvis verò ex reali diſtinctione trium in terra teſtium perſonalis, eorundem ſubſiſtentia & diſtinctio inferri nequeat, tamen ex reali diſtinctione trium in cœlo teſtium perſonalem eorundem ſubſiſtentiam & diſtinctionem rectè colligi patet ex eo, quod teſtis nomen propriè accipitur, quando Patre & Filio tribuitur. Jam verò teſtis nomen propriè acceptum perſonæ tantùm competit, id quod fatetur Goslavus contra Keckerm. part. 1. cap. 4. pag. 50. ſic ſcribens. *Ut concedam, inquiet aliquis, hinc unitatem eſſentiæ non probari, tamen tres perſonæ probantur. Si propriè loquamur, res ita ſe habet. At ſi figuratè, reperiemus ſæpiùs dici teſtari etiam ea, quæ teſtari propriè non poſſunt.* Hæc Goslavus, ex quibus ſic colligimus. Ubicunq; teſtis nomen propriè accipitur, ibi perſonam notat. At hoc loco propriè accipitur. Ergò perſonam notat, & per con-

sequens, ut tres statuuntur testes, ita quoq; tres personæ. Minorem probamus. Quo modo accipitur nomen testis, quando Patri & Filio tribuitur, eo etiam modo accipitur, quando tribus in cœlo testibus, videl. non solùm Patri & Filio, sed etiam Spiritui sancto hoc loco tribuitur. Atqui Patri & Filio attributum accipitur propriè, quod Photiniani non negant, nec possunt negare, cùm ex Joh. 5. v. 32. cap. 8. v. 16. sit manifestissimum. Ergò etiam propriè accipitur, quando tribus in cœlo testibus hoc loco tribuitur. Majorem confirmamus ex regula illa certissima, quam Calvinianis etiam solemus opponere, *quòd una eademq; vox in eadem sententia non possit habere duplicem significationem, propriam & figuratam*, cujus regulæ fundamenta exposuimus in tractat. de Euchar. §. 180. ea verò hûc afferre opus non est, cùm ipse Enidinus in detorsione loci Psalm. 33. v. 6. contra nos hoc ipsum theorema (falsò tamen intellectum & applicatum) urgeat, *quod uno in loco unius vocis plures & diversæ significationes retineri non possint*. 4. Quando Apostolus trium illorum in cœlo testium μαρτυρίαν confert cum testimonio hominum, innuit se eo modo tres illos in cœlo testes distinguere, quo tres testes homines inter se distinguuntur. Atqui tres testes humani distinguuntur personis (ubi tamen notandum, esse differentiâ inter testium humanorũ & divinorum distinctionem, illi enim non personaliter tantùm, sed etiam essentialiter distinguuntur, quod in divinis testibus locum non habet propter essentiæ identitatem, quam postea demonstrabimus.) 5. Apostolus non absolutè & simpliciter dicit, tres sunt in cœlo testes, Πατὴρ, Λόγος καὶ πνεῦμα, sed singulis testibus addit articulum, qui respondet הַ He hajedah Hebræorum, ὁ πατὴρ, ὁ Λόγος, καὶ τὸ πνεῦμα, ut significetur ille summus Pater, ille summus Filius, ille summus Spiritus S. ac postea addit, καὶ οὗτοι οἱ τρεῖς non dicit τοῦτο τρία, sed οἱ τρεῖς, ipsâ generis mutatione personalitatem trium illorum testium designans, talem enim generum ἑτερώσιν personarum designationi inservire colligitur ex Genes. 3. v. 15. Matth. 28. v. 19. Joh. 14. v. 26. cap. 15. v. 26. Gal. 3. v. 16. Eph. 1. v. 13. Col. 2. v. 19. Quamvis verò de testibus in terra eodem modo postea dici videatur οἱ τρεῖς, tamen per prosopopœian tantùm, quandam eos tanquam testes introduci, ac proinde figuratè eos sic vocari, cùm contra priores

res ſint verè ſubſiſtentes perſonæ, conſtat ex aliis Scripturæ locis cum hoc dicto conferendis. 6. Conjungimus ergò cum hoc loco Johannis Hiſtoriam de Baptiſmo CHRISTI, ad eam enim digitum intendit Apoſtolus tres in cœlo teſtes ſtatuens, ut ſuperiùs demonſtravimus, in qua latiùs explicatur, quomodo tres hi in cœlo teſtes, Pater, Verbum & Spiritus ſanctus fuerint teſtificati, Pater è cœlo hanc vocem edit. *Hic eſt Filius meus dilectus.* Filius in Jordane ſtans baptizatur. Spiritus ſanctus in corporali ſpecie columbæ deſcendit, ac manet ſuper Chriſtum Matth. 3. v. 17. &c. unde ſic colligimus. Quot perſonæ Deitatis in Baptiſmo Chriſti ſeſe manifeſtarunt, tot etiam in Deitate perſonæ agnoſcendæ, prædicandæ & invocandæ. Atqui tres perſonæ Deitatis in Baptiſmo Chriſti ſeſe manifeſtarunt. Ergò etiam tres in Deitate perſonæ ſunt agnoſcendæ, prædicandæ & invocandæ, ac proinde Trinitas perſonarum in divinis ſtatuenda. Minor continet tria membra. Primum, quod tres ſeſe manifeſtarint ex ipſa deſcriptione hujus θεοφανείας intelligitur. Secundùm, quòd tres illi fuerint perſonæ, ac proinde inter ſe perſonaliter diſtincti, patet ex eo, quod alius eſt, qui de cœlo clamat, alius qui baptizatur, alius qui in ſpecie columbæ deſcendit. Is, qui de cœlo clamat, non baptizatur, nec in ſpecie columbæ deſcendit, ergò Pater eſt à Filio & Spiritu S. diſtinctus. Is, qui in Jordane baptizatur, non clamat de cœlo nèc in ſpecie columbæ deſcendit. Ergò Filius eſt à Patre & Spiritu S. diſtinctus. Is, qui in ſpecie columbæ deſcendit, non clamat de cœlo nec baptizatur. Ergò Spiritus S. à Patre & Filio eſt diſtinctus. Ut ergò ex eo, quod alius eſt, qui clamat de cœlo, & alius, qui in Jordane baptizatur, rectè colligitur, aliá eſſe Patris, aliã Filii perſonã ſive Patrem & Filiũ perſonaliter diſtingui: ita ex eo, quod alius, qui in ſpecie columbę deſcendit, & alius, qui in Jordane baptizatur, rectè colligitur, aliam eſſe Spiritus S. aliam Filii perſonam, & ex eo, quod alius eſt, qui de cœlo clamat, alius, qui in ſpecie columbæ deſcendit, rectè infertur aliam Patris, aliam Spiritus ſancti eſſe perſonam, & proinde Patrem, Filium & S.S. eſſe tres perſonas realiter diſtinctas, & tres teſtes perſonaliter diſtinctos. Tertium, quod hæ ſint tres perſonæ, probatur ex

omnibus illis locis, quæ veram Filii & Spiritus S. Deitatem demonstrant. Præterea in hac ipsa θεοφανείᾳ Filius vocatur ὁ ἀγαπητὸς *dilectus ille*, id q; in aliis Scripturæ locis sic exponitur, quod sit proprius & unigenitus Dei Filius ab æterno à Patre genitus. Spiritus S. cum Patre & Filio in hac θεοφανείᾳ conjungitur & à Photinianis conceditur, quod sit *virtus divina*, quæ nihil aliud est, quàm ipse Deus, ex quo colligimus tres illas realiter distnctas personas esse unius indivisæ Deitatis personas. 7. Deniq; addimus institutionem nostri Baptismi Matth. 28. v. 19. Ut enim in Baptismo Christi tres Deitates personæ se-se manifestarunt, ita quoq; in institutione nostri Baptismi trium distinctarum Deitatis personarum fit expressa mentio. Ut in Christi Baptismo Pater, Filius & S.S. testificati sunt: ita in nostro Baptismo tota sacrosancta Trinitas ad salutem baptizati efficaciter operatur. Vid. tom. 4. Loc. de Bapt. §. 80. Jam v. in Baptismi institutione tres distinctè nominantur, tres per particulam copulativam & distinctè numerantur, tribus articulus δέ πᾶσι τῷ expressè additur, & in trium illorum nomine Baptismus administrati jubetur, utiq; ergò tres distinctæ personæ in eadem diserte exprimuntur. Quod autem tres illæ distinctæ personæ sint unius indivisæ Deitatis personæ, ac proinde unus verus Deus, probatum damus hoc argumento. Is in cujus nomen baptizamur, est verus Naturâ Deus. Atqui non solùm in Patris, sed etiam Filii & Spir. S. nomen baptizamur. E. non solùm Pater, sed etiam Filius & S. S. sunt verus Naturâ Deus. De Photinianorum ad hoc argumentum exceptionib. egimus disp. 10. de gloria Dei. §. 4. & seqq.

4. Spiritus sancti personalitas.

5. 4. *Spiritus sancti personalitas.* Qui duobus in cœlo testibus Patri scil. & Filio tanquam tertius testis conjungitur, is est à Patre & Filio distincta persona. Spiritus S. duobus in cœlo testibus Patri scil. & Filio tantquam tertius testis conjungitur. Ergo Spiritus S. est à Patre & Filio distincta persona. Majorem totis viribus negant Photiniani, sic enim Goslavus contra Keckerm. part. 1. cap. 4. p. 49. *Ex hoc loco* 1. *Joh.* 5. *v.* 7. *sequitur tantùm tres esse, non autem tres personas esse unius essentiæ* pag. 51. *si figuratè loquamur, reperiemus sæpiùs dici testari etiam ea, quæ testari propriè non possunt. Et tres sunt, scribit Joan-*

hannes, testantes in terra, Spirius, aqua & sangvis. Est figura apud Rhetores Prosopopæia, cùm id, quod est rerum animatarum, inanimatis tribuitur. Confirmamus igitur majorem propositionem 1. ex *hoc ipso loco*, & quidem tripliciter 1. De quo propriè testis nomen prædicatur, ille est persona, quod est manifestum, & ab adversariis concessum. Atqui de Spiritu sancto propriè testis nomen prædicatur. Ergò. Minor probatur, quia eodem modo, quo Patri & Filio, etiam Spiritui sancto tribuitur, quod sit testis, jam verò Patri & Filio testis nomen propriè competit. Ergo & Spiritui sancto, aliàs sequeretur, unam eandemq; vocem in una eademq; propositione habere duplicem significationem propriam & figuratam. 2. Per Spiritum hîc intelligitur, aut donum Spiritus S. in cordibus nostris testificantis, aut virtus & potentia Patris aut distincta à Patre & Filio persona, ut constat ex sufficiente enumeratione. Non primum, quia Spiritus S. conjungitur testibus in cœlo, jam verò donum Spiritus testificatur in cordibus hominum in terra degentium. Nec secundum, quia si Spiritus S. esset tantùm virtus Patris, non autem distincta ab eo persona, non posset ab eo tanquam tertius testis distingui, cùm essentiæ & virtutis sit una testificatio, adeoq; unus sit testis, persona quæ testatur, & virtus per quam testatur. Manet ergò tertium, videlicet Spiritum sanctum testem tertium esse distinctam à Patre & Filio personam. Observandum etiam tertium hunc testem Spiritum S. hoc loco eadem ratione non solùm à Patre, sed etiam à Filio distingui. E. non possunt Photiniani dicere, quod S.S. à Patre distinguatur, ut ipsius consubstantialis virtus, quia eodem modo distingueretur à Filio, ut ipsius consubstantialis virtus, jam verò negant Photiniani, Spiritum S. esse consubstantialem Filii virtutem. 3. Non Patris solùm & Filii, sed etiam Spiritus S. testimonium comparatur cum testimonio hominum, quando additur vers. 9. *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est.* Atqui testimonium hominum ita comparatum est, ut plures testes rem unam testificantes sint inter se verè ac realiter distincti, sic enim habent verba legis divinæ, ad quæ Johannes respicit. *In ore duorum vel trium testium consistit omne verum.* Ergò etiam Patris, Filii & Spiritus

ſancti teſtimonium ita comparatum eſt, ut à Patre & Filio Spiritus S. ſit verè & realiter diſtinctus, perſonaliter ſcilicet, quia eſſentialiter cum utroq; eſt unum. 2. *ex aliis Scripturæ locis*, & quidem tribus potiſſimùm. 1. ex Matth. 3. v. 17. Luc. 3 v. 22. Qui in ſpecie corporali columbæ in Baptiſmo Chriſti deſcendit, eſt diſtincta à Patre & Filio perſona. Sed Spiritus S. in ſpecie columbæ deſcendit. Ergò. Majorem protervè negant Photiniani, ſed ex textu firmiter probatur, quia ut Pater ſe manifeſtavit, quod ſit diſtincta à Filio & S. S. perſona per vocem audibilem, ſic Spiritus S. ſe manifeſtavit, quod ſit diſtincta à Patre & Filio perſona per deſcenſum in ſpecie columbæ viſibilem. Ut rectè colligo Patrem eſſe diſtinctam perſonam, quia per ſonum vocis ſeſe diſtinctè manifeſtat, ſic rectè colligo, Spiritum S. eſſe diſtinctam perſonam, quia per ſpeciem columbæ deſcendentis ſeſe diſtinctè manifeſtat. Quæ per modum attributi eſſentialis ſunt in Deo, aſſumtâ viſibili corporeâ & externâ ſpecie non apparent, quis enim unquam vidit Dei miſericordiam, Dei juſtitiam, Dei ſapientiam, &c. aſſumtâ viſibili corporea & externâ ſpeciè diſtinctè ſe manifeſtaſſe? Jam verò Spiritus S. in Baptiſmo Chriſti ea ratione apparuit. Ergo. Sed de hoc argumeoto alibi pleniùs. 2. ex Matth. 28. v. 19. Is, in cujus nomen baptizamur eſt diſtincta à Patre & Filio perſona. Sed in nomen Spiritus S. baptizamur. Ergò Spiritus S. eſt diſtincta à Patre & Filio perſona. Majorem denuò negant Photiniani, utpote quorum proprium eſt etiam manifeſtiſſima ac certiſſima negare. Sed non poſſunt ſuæ negationis firmum aliquod adducere fundamentum, nos ergò literæ inhæremus & ut ex eo, quod in Patris & Filii nomen baptizamur, rectè colligimus, Patrem & Filium eſſe diſtinctas perſonas, ne ipſis quidem Photinianis abnuentibus, ſic ex eo, quod in Spiritus S. etiam nomen baptizamur, rectè inferimus, quod Spiritus S. ſit dictincta à Patre & Filio perſona, niſi certam & immotam aliquam diverſitatis rationem afferant Photiniani, quod in æternum facere non poterunt. Schmaltzio in diſp. 1. contra D. Frantz. p. 36. hîc aquâ hæret, ſic enim trepidante animo & calamo ſcribit. *Præterquam quod hæc verba in nomen Patris, Filii & Spiritus ſancti idem ſignificare poſſunt* (nota) *quod*

quod in Patrem, Filium & Spiritum ſanctum modo loquendi Hebraico, quod nomen rei pro ipſa re accipitur, jure credi poteſt (nota) *propriè iſta verba Patri & Filio competere, qui perſonæ ſunt impropriè autem Spiritui ſancto & Chriſtum fortaſsè nunquam italocuturum fuiſſe* (nota) *ſi de ſolo Spiritu ſancto ſermonem habuiſſet.* At hujus improprietatis, nec eo in loco, nec ullibi in tota Scriptura ullum occurrit veſtigiũ, nec affertur vel afferri poteſt ulla neceßitatis cauſa, quæ à proprietate literæ diſcedere jubeat. Nos autem cur proprietati verborum inſiſtamus, cauſam afferre poſſumus evidentem, tum generalem illam, quod in myſteriis fidei à proprietate literæ non ſit diſcedendum, niſi ipſa Scriptura nos cogat, tum ſpecialem, quod Baptiſmus, cujus inſtitutio in his verbis deſcribitur, ejuſdemq; forma præſcribitur, ſit actio fœderalis, per quam baptizatus in fœdus recipitur 1. Pet. 3. v. 21. quod ipſum etiam ex collatione Baptiſmi cum Circumciſione intelligitur Coloſſ. 2. v. 11. jam verò eum, à quo in fœdus recipimur, oportet eſſe perſonam. Vide Dn. D. Hunn. amicum noſtrum honorandum in erudita diſput. de Sacram. Bapt. Photinianis oppoſita th. 83. 3. ex Joh. 14. v. 16. *rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis*, v. 17. *Spiritum veritatis, qui apud vos manebit*, cum quo conjungimus cap. 15. v. 26. *cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre Spiritus veritatis, qui à Patre procedit, ille teſtimonium perhibebit de me*, ex quibus ſic inferimus. Qui eſt alius Paracletus à Patre & Filio diſtinctus, ab æterno à Patre & Filio procedit, & in tempore à Patre & Filio mittitur, is etiam eſt alius à Patre & Filio diſtinctus teſtis, & per conſequens diſtincta à Patre & Filio perſona. Spiritus S. eſt alius Paracletus à Patre & Filio diſtinctus, ab æterno à Patre & Filio procedit, & in tempore à Patre & Filio mittitur. E. & alius à Patre & Filio diſtinctus teſtis, & per conſeq. diſtincta à Patre & Filio perſona. Id quod per cõſeq. additur, rectè inferri demonſtramus hac collatione. Joh. 5. v. 32. inquit Chriſtus, *alius eſt, qui teſtimonium perhibet* v. 37. *qui miſit me Pater, ipſe teſtimonium perhibuit de me.* cap. 8. v. 16. *Solus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater*, v. 17. *& in lege veſtra ſcriptum eſt, quia duorum hominum teſtimonium verum eſt* v. 18. *ego ſum, qui teſtimonium perhibeo de meipſo, & Pater, qui miſit me, teſtimonium de me perhibet.* Quemadmodum Pater ideò di-

citur

citur *alius, qui testimonium perhibet*, sive alius testis, quia est â Filio verè distincta persona, sic S.S. etiam est alius testis, quia â Patre & Filio est distincta persona. Quemadmodum Christus duas personas testificantes adducit, iisq; accommodat, quod in lege scriptum, *In ore duorum vel trium testium consistit omne verbum.* Sic Johannes hoc loco tertium testem addit, iisque idipsum ex lege accommodat. *Si testimonium hominum recipimus, testimonium Dei majus est.* Ergo ut Pater & Filius sunt distinctæ personæ, ita quoq; Spiritus S. est persona ab utroq; distincta. Schmaltz. contra D. Grauerum de S.S. p. 16. hoc unum in mendicitate sua habet, quod regerat. *Vocem alius* Joh. 14. v. 16. *non ad denotandam personam, sed aliud quid quod Apostolis ad futurum loco Christi erat, esse additum, quâ licet figuratâ locutione multò rectiùs & elegantiùs id, quod res est, exprimatur, quo loquendi modo posset Pater à Filiis suis res suas parum curantibus discessurus illis dicere, fore ut nisi res suas curent, alius Magister veniat, paupertas scilicet, eos docturus, quomodo se gerere debeant, &c.* Atqui si licet in summis fidei mysteriis à proprietate literæ proprio arbitrio discedere & quasvis interpretationes tropicas proprio ausu confingere, nihil certi in Scripturis relinquetur. Afferant ergò Photiniani certam & evidentem rationem, cur vocabulum *alius* non debeat propriè accipi, prout personam denotat, sed in locutionem figuratam transformari ut aliud quid notet. Nullam autem ejusmodi rationem proferre possunt, nisi præconceptam suam opinionem, quod in una indivisa Deitatis essentia non possint esse plures personæ. Nos autem licet nullâ lege teneamur afferre rationem, cur proprietati verborum insistamus, cùm regula interpretationis hoc requirat, ex abundanti tamen afferemus. Paracletum illum alium Christus sic describit, quod *à Patre procedat*, quod à Filio *mittatur*, & *testimonium* de eo *perhibeat*, quod unà cum Apostolis & per Apostolos *testimonium perhibeat*, Johan. 15. v. 26. & 27. ac cùm in Genere neutro dixisset τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας, in masculino subjicit, ἐκεῖνος μαρτυρήσει, sicq; in uno indivulso contextu in eodem divino opere secum & cum Patre tanquam personam cum duabus personis Spiritum S. conjungit, ac talia ei assignat, quæ non nisi personæ competunt. Idem probatur

ex

ex aliis Scripturæ locis, in quibus de Spiritu ſancto dicitur, quòd *operetur prout vult* 1. Cor. 12. v. 11. quòd cognoſcat, & *ſcrutetur profunditates Dei* 1. Cor. 2. v. 10. quòd *judicet* Act. 15. v. 28. quòd *loquatur ac præcipiat* Act. 13. v. 2. quòd *doceat veritatem & ventura annunciet* Joh. 17. v. 13. quòd *arguat* Johan. 16. v. 8. quòd *conſoletur* Joh. 14. v. 16. quòd *mittat* Eſa. 61. v. 14. quòd Eccleſiæ *doctores conſtituat* Act. 20. v. 28. quòd *adjuvet* Rom. 8. v. 26. &c. At hæc omnia ſunt ejuſmodi opera, quæ ſi *conjunctim* accipiantur, non poſſunt, niſi à perſona ſubſiſtente, intellectu, voluntate & agendi facultate prædita effici. Ergò Spiritus S. eſt perſona. Dico autem *conjunctim accepta*, quia Photiniani adducunt quædam exempla, in quibus quædam ex illis operibus tribuuntur etiam rebus. Sic regnum Dei dicitur *venire* Luc. 17. v. 20. verbum *conſolatur* Pſalm. 23. v. 4. auxilium *mittitur* Pſalm. 20. v. 3. opera *teſtantur* Joh. 10. v. 25. Sed his ac ſimilib. rebus nec tota definitio perſonæ, nec omnia perſonæ intelligentis, volentis & agentis opera tribui poſſunt. Nec operationes illæ perſonarum uniformiter ac ſemper de illis prædicantur, ſed improprietas illa alibi exponitur. De Spiritu S. autem Scriptura ſemper uno & eodem modo, ut de diſtincta à Patre & Filio perſona loquitur, ex quo ipſum eſſe perſonam meritò colligitur, cùm in ſummis fidei myſteriis à proprietate literæ abſq; cogente neceſſitate non ſit diſcedendum. Breviter, quibus argumentis probatur Patrem eſſe perſonam & Filium eſſe perſonam, iiſdem etiam probari poteſt, S.S. eſſe perſonam.

6. 5. *Cujusq; perſonæ proprietas.* Tres in cœlo teſtes Johannes non ſolùm numerat, ſed etiam nominatim eos exprimit. Primum vocat *Patrem*, qui eſt prima perſona Trinitatis. Dicitur hic teſtis Pater (nomine accepto non eſſentialiter, ſed perſonaliter, ut ex additis duobus reliquis tribus teſtibus apparet) non ſolùm propter opus ad extra, quia in Filio per Spiritum ſanctum omnia condidit & conſervat, quo reſpectu vocatur *Pater omnium creaturarum*, Malach. 2. v. 10. nec ſolùm, quia per & propter Filium ſuum credentes in filios ſuos adoptat, quo reſpectu vocatur *Pater credentium* Rom. 8. verſ. 15. Gal. 4. v. 6. &c. ſed etiam & quidem cumprimis propter opus

6. Cujusq; perſonæ proprietas

ad intra, quia ab æterno genuit Filium sibi coæternum & consubstantialem, qui proinde ipsius proprius & unigenitus Filius dicitur Johan. 5. v. 18. Rom. 8. v. 32. Johan. 1. v. 14. Characteristica ergò primæ personæ proprietas hæc est, quod ab æterno genuerit Filium & una cum eodem ab æterno spiret Spiritum sanctum, quia relatio illa, quâ Pater in ipsa Deitate ad Filium refertur, *generatio* scil. in Patre est realiter eadem cum relatione, qua idem in ipsa Deitate ad Spiritum S. refertur, quæ est *spiratio*, unde veteres proprietatem Patris constituunt ἀγεννησίαν, *innascibilitatem*, ubi accuratè notandutm vocabulum ἀγεννησίας, quoad rem significatam non esse tantùm *negativum*, quòd Pater sit à nullo nec factus, nec creatus, nec genitus, nec procedens, sed etiam *affirmativum*, quòd Pater ab æterno genuerit Filium & cum Filio spiret Spiritum S.

7. Secundum testem Apostolus vocat Λόγον *Verbum*, quo nomine intelligitur Dei Patris Filius, ut ex aliis Scripturæ locis constat Johan. 1. v. 14. 1. Joh. 1. v. 1. Apoc. 19. v. 13. &c. qui est secunda Trinitatis persona. Dicitur hîc testis Λόγος, non solùm πρὸς ἔξω respectu *creaturarum*, tum *generatim* propter *creationem & sustentationem*, quia Pater per illũ omnia condidit & conservat Gen. 1. v. 2. Joh. 1. v. 3. Augustin. in libro 83. quæstionum q. 63. tùm *speciatim* propter voluntatis divinæ *revelationem*, quia Pater per illum mysterium voluntatis suæ de salute nostra revelavit in V. T. *sub figuris*, in exordio N. T. post factam incarnationem in propria *humanitate*. Joh. 1. vers. 18. Hebr. 1. vers. 1. Nazianzen. orat. 2. de Filio pag. 164. Διὰ τὸ ἐξαγγελτικὸν, &c. sed etiam πρὸς ἴσον respectu ipsius *Patris*, tùm propter *æterni decreti rationem*, quia decretum de redemtione & salvatione generis humani factum in ipso ante mundum conditum Ephes. 1. v. 4. 2. Tim. 1. v. 2. tum propter *æternam à Patre generationem*, Joh. 1. v. 1. *Ut mens cogitando verbum intra se generat & sic generat verbum de se, ut genitum habeat apud se, sic Verbum divinum in ipso Patre manet, à quo gignitur.* Fulgent. lib. 3. ad Monim. Filius dicitur *Verbum*, dicunt Græci Patres, Διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, Διὰ τὸ συναφὲς, & quia est εἰκὼν καὶ χαρακτὴρ ὃ γεννήσαντος ὅλον ἐν ἑαυτῷ ὄφιν τὸν

γεν-

γεννήταν ἔδει ἐκεῖθεν ἀποµερίσας καὶ τέλος ὑπάρχων καθ' ἑαυτὸν ὡς ὁ ἡµέτερος λόγος ὅλην ἡµῶν ἀπφηνίζῃ τὴν ἔννοιαν. Plura ſimilitudinis ac diſſimilitudinis inter λόγον illum divinum & λόγον noſtrum humanum membra videri poſſunt in egregio tractatu Dn. D. Meiſneri, Theologi Clariſſimi, amici noſtri ſingulariter honorandi ac dilecti, quem vocat Λογολογίαν. Characteriſtico ergò ſecundæ perſonæ Filii ſcilicet proprietas eſt, quod ab æterno à Patre eſt genitus, & cum Patre ab æterno ſpirat Spiritum S. quia relatio illa quâ Filius ad Patrem refertur, eſt realiter eadem cum relatione, quâ refertur ad Spiritum ſanctum, unde veteres proprietatem Filii vocant γέννησιν, per quam proprietas Filii ſtatuitur *generatio*, quâ ab æterno à Patre naſcitur, ita tamen ut non excludatur *ſpiratio*, quâ ab æterno unà cum Patre ſpirat Spiritum ſanctum.

8. Tertium teſtem Apoſtolus vocat *Spiritum ſanctum*, qui eſt tertia Trinitatis perſona, cui peculiariter hoc nomen tribui conſuevit. Pſalm. 51. v. 15. Eſa. 63. v. 10. Luc. 3. v. 22. &c. Auguſtin. lib. 5. de Trin. c. 11. *Pater & Filius & Spiritus ſanctus, quoniam unus Deus & utiq; Deus ſanctus eſt, & Deus Spiritus eſt, poteſt appellari Trinitas & Spiritus ſanctus, ſed tamen ille Spiritus S. qui non Trinitas, ſed in Trinitate intelligitur, in eo, quod propriè dicitur Spiritus ſanctus, relativè dicitur, cùm & ad Patrem & Filium refertur, quia Spiritus ſanctus & Patris & Filii Spiritus eſt, ſed ipſa relatio non apparet in hoc nomine, apparet autem cùm dicitur Dei donum, &c.* Dicitur hic teſtis *Spiritus* non ſolùm ratione *eſſentiæ*, quia eſt eſſentia ſpiritualis ἀσώµατος & incorporea Johan. 4. v. 24. (eam enim cùm Patre & Filio communem, imò unam & indiviſam obtinet) nec ſolùm ratione *operum ad extra*, quia accommodantur illi tales effectus in creaturis, qui afflatum quendam divinitatis important, ut ſunt vivificare, afficere mentes hominum, ſanctificare, docere, illuminare, &c. per quos effectus velut ſpirat, movet & afficit creaturas ac velut animæ in corpore obit officia, producendo eas in eſſe, vivificando, continendo, movendo, ſanctificando, interiùs docendo & mentes hominum afficiendo,

Gen. 1. v. 3. unde datur per flatum Johan. 20. v. 22. & cum ſono venti ſive Spiritus vehementis Act. 2. v. 2. nec ſolùm ratione *modi agendi*, quia ut *Spiritus ubi vult ſpirat & vocem ejus audis, ſed neſcis unde veniat & quò vadat:* Sic Spiritus ſanctus ſenſib. non percipitur, ſed efficacia operationis intelligitur & agnoſcitur Joh. 3. v. 8. ſed etiam & cumprimis ratione *proprietatis perſonalis & operis ad intra*, quia à Patre & Filio ineffabiliter ab æterno ex intimo eſſentiæ ore ſpiratur, unde vocatur *Spiritus oris Jehovæ* Pſalm. 33. v. 6. *ſpiraculum omnipotentis* Job. 33. v. 4. *Spiritus oris Chriſti* 2. Theſſ. 2. v. 8. *Spiritus labiorum ejus* Eſ. 11. v. 4. hanc ſpirationem Chriſtus vocat ἐκπόρευσιν, Joh. 15. v. 26. unde veteres proprietatem characteriſticam Spiritus S. vocant ἐκπόρευσιν per quam intelligitur, quod Spiritus ſanctus per modum ſpirationis à Patre & Filio ab æterno procedat. Addunt veteres qualiscunq; declarationis gratiâ, Spiritum procedere à Patre & Filio *ſicut amor* à mente intelligente & verbo mentali, amor autem veluti ſpiratur, quia ſicut ventus, qui ſpiratur, impellit & movet aërem & alias res, ſic amor impellit & movet voluntatem amantis in rem amatam, &c. De hac Spiritus S. perſonali proprietate latè egimus tom. 1. Loc. tract. de S.S. §. 59. & ſeqq.

Exceptio Photinianorum.

9. Contra Spiritus S. perſonalem proprietatem excipiunt Photiniani, quòd ἐκπόρευσις illa oſtendat Spiritum ſanctum non eſſe perſonam. Sic enim ſcribit Socinus in explanatione locorum, qui pro aſtruenda Spiritus S. divinitate afferri ſolent (quod ſcriptum animadverſ. in aſſert. Poſnan. annexum) pag. 113. & 114. *Quamvis ii, qui Spiritum S. ipſum Deum eſſe ſtatuunt, quales ſunt Evangelici omnes & Papiſtæ putant, inde* (ex Joh. 15. v. 26.) *intelligi formam, ut ita loquar, perſonalitatis ejus, tamen ſine dubio contrarium potius probatur. Neq; enim naturaliter perſona à perſona perpetuò aut indeſinenter, aut etiam ſæpè aut ſubinde procedere ſeu emanare poteſt, qualem certum eſt, proceſſionem iſtam Spiritus ſancti à Patre Chriſti eſſe, id quod etiam indicat verbum ipſum præſentis temporis, procedit. Res enim non perſonæ à perſonis ratione iſta emanant, ut habetur Marc. 7. v. 15. ubi idem eſt verbum, quod in loco iſto.* Eadem repetit Schmaltz. in diſp. contra D. Grauerum de

de Spiritu S. pag. 17. Resp. 1. Ostendimus in tract. de Spiritu sancto §. 60. & seqq. ἐκπόρευσις usurpari non solùm de emanatione *rerum*, sed etiam *personarum*. Sic Deus dicitur ἐκπορεύεσθαι quando se manifestat signo vel opere quodam externo Psalm. 68. v. 8. Mich. 1. v. 3. Angeli & homines, quando τὸ πῆ & locum suum mutant. Zach. 2. v. 3. Gen. 24. v. 11. Matth. 20. v. 29. Marc. 1. v. 5. &c. 2. Nec res solùm, sed etiam personæ dicuntur ab homine egredi per generationem scilic. & nativitatem Jud. 8. v. 30. *Gedeoni erant filii septuaginta* ἐκπορευόμενοι *egressi è femore ejus*, unde etiam ad metaphoricam glaciei generationem accommodatur Job. 38. vers. 29. 1. Reg. 4. v. 33. Falsa igitur est hypothesis exceptionis Photinianæ, quod nullum ἐκπορευόμενον sit persona. 3. Quamvis verò naturaliter sive in rebus naturalibus persona à persona perpetuò aut indesinenter procedere non possit, tamen ex illo colligi nequit, in divinis processioni personæ à persona non esse locum. Distinguendum enim inter processionem *physicam* ac *hyperphysicam*, *humanam & divinam*, *temporalem & æternam*. Processio Spiritus S. quâ per modum spirationis à Patre & Filio procedit, est hyperphysica, divina & æterna nullam secum trahens mutationem nec includens temporis successionem, de ea igitur judicium fieri non potest nec debet ex processione physica, humana & temporali, quæ & Naturæ legibus & variis transmutationibus & temporum intervallis est subjecta. 4. Ex verbo præsentis temporis *procedit* neutiquam colligi potest, Spiritum sanctum non procedere ab æterno à Patre & Filio ut personam, quia æternitas excludit omnem temporis successionem, ideò rectè dicimus, quòd Spiritus S. à Patre & Filio processerit, & quod à Patre & Filio procedat. Quod ergò de generatione Filii Nazianzen. orat. 3. de Theol. dicit, id ad processionem Spiritus sancti etiam accommodari potest. *Nec Deus Pater ita generat* (spirat) *ut nondum perfectè generarit* (spirarit) *neq; Pater generavit Filium* (& cum Filio spiravit Spiritum sanctum) *ut generare* (spirare) *desierit: illa enim locum habent in iis tantùm, quæ temporum mutationibus sunt obnoxia, verum in Deo semper est nativitas* (spiratio) *sed perfecta,*

ſemper enim Filius Dei naſcitur, ſed perfectus (Spiritus ſanctus ſemper ſpiratur & procedit, ſed perfectus.

6. Ordo inter perſonas Trinitatis.

10. 6. *Ordinis inter perſonas divinitatis perſpicuitas.* Apoſtolus non ſolùm tres in cœlo teſtes numerat & ſingulorum nomina exprimit, ſed etiam ordinem inter eos monſtrat. Primum enim teſtem vocat *Patrem*, ſecundum teſtem appellat *Verbum*, tertium *Spiritum S.* Prima ergò perſona divinitatis eſt Pater, ſecunda Filius, tertia Spiritus S. Quamvis verò in quibuſdam Scripturæ dictis hic ordo ratione *collocationis* non ita ſtrictè obſervetur, quod ad omnem inæqualitatis ſuſpicionem excludendam fieri meritò creditur 2. Corinth. 13. verſ. 13. Gal. 4. v. 6. Epheſ. 2. v. 18. Apoc. 1. v. 4. & 5. tamen ex perſonarum Trinitate & cujusq; perſonæ proprietate ordo ille manifeſtè colligitur, quod ſic oſtendimus. Ubi dantur tres perſonæ, quarum una eſt *producens tantùm*, altera *producens & producta* diverſo reſpectu, ac tertia *producta tantùm*, ibi inter eas talis neceſſariò conſtituitur ordo, ut perſona *producens tantùm*, ſit ordine prima perſona, perſona *producens & producta* ſit ordine ſecunda perſona, perſona *producta tantùm* ſit ordine tertia perſona. Jam verò in auguſtiſſimo Trinitatis myſterio dantur tres ejuſmodi perſonæ, quarum una eſt *producens tantùm*, videlicet Pater, qui ab æterno genuit Filium, & cum Filio itidem ab æterno ſpirat Spiritum ſanctum: altera eſt *producens & producta*, videlicet Filius, qui ab æterno eſt à Patre genitus, quo reſpectu dicitur perſona *producta*, & cum Patre itidem ab æterno ſpirat Spiritum ſanctum, quo reſpectu dicitur perſona *producens*: tertia eſt perſona *producta tantùm*, videlicet Spiritus ſanctus, qui à Patre Filioq; ab æterno procedit. Ergò in myſterio Trinitatis Pater eſt perſona prima, Filius ſive Verbum eſt perſona ſecunda, Spiritus ſanctus eſt perſona tertia. Atq; hîc ordo in aliis etiam Scripturæ locis evidenter ponitur. Eſa. 63. v. 7. & ſeqq. Hagg. 2. v. 5. & 6. Act. 10. v. 38. Rom. 1. v. 2. & ſeqq. cumprimis verò in inſtitutione Baptiſmi Matth. 28. v. 19. *Baptizate gentes in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti*, ubi tamen notandum ordinem illum inter perſonas Trinitatis non ſtatui ratione *temporis*, quia tres perſonæ divinitatis ſunt coæternæ, nec ratione *di-*

verſæ

versæ Naturæ, quia sunt consubstantiales, nec ratione *dignitatis*, quia sunt ejusdem gloriæ & majestatis, sed ratione *originis* sive *productionis*. Nazianzenus orat. 3. de Theol. *A Patre existunt Filius & Spiritus sanctus, sed non post illum.* Augustinus lib. 3. contra Maxim. cap. 18. *Ideò non est Pater major Filio, quia æqualem sibi genuit, originis enim quæstio est, quis de quo sit, æqualitas autem qualis aut quantus sit.* Vide tract. de Deo Patre & æterno ejus Filio §. 1.

II. 7. *Trium personarum* ὁμοουσία, *& consubstantialitas.* 7. *Trium personarũ* ὁμοουσία. Apostolus non solùm tres in cœlo testes statuit, sed etiam dissertis verbis addit, *Et hi tres unum sunt*, ergò in confessione veræ sempiternæq; Deitatis & *in essentia unitas, & in Trinitate adoretur æqualitas.* Sic enim colligimus. Qui testes Naturâ divini verè & propriè unum sunt, illorum est una essentia. Pater, Verbum & Spiritus S. testes Natura divini verè & propriè sunt unum. Ergò illorum trium est una essentia & per consequens hi tres sunt ὁμοούσιοι & consubstantiales. Exclamat hæreticus, *agi de unitate consensus & testimonii nõ essentiæ, ideoq; ex textu Apostolico non posse inferri* ὁμοούσιαν. Socin. in animadv. ad assert. 17. Posnan. p. 69. *cùm ex sequentibus pateat, verba illa, & hi tres unum sunt, sine quib. testimonium nullius ponderis est, nihil aliud significare posse, quàm idem omninò testantur, nec ullâ ratione essentiæ unitatem aliquam declarare, ridendi planè sunt, qui ejusmodi testimonium ad Trinitatis nomen uni essentiæ divinæ accommodandum afferre non dubitaverint.* Idem in comment. 1. Joh. 5. p. 424. *Non potest ullo pacto ex istis verbis una & eadem essentia Patris, Verbi & Spiritus sancti confirmari, ut à nostris hominibus copiosè & multis exemplis demonstratum est in interpretatione verborum Christi, Ego & Pater unum sumus, neq; hîc quidquam est opus ea in medium afferre, præsertim cùm locus ipse satis doceat, istam unitatem pertinere ad ipsum testimonium, hîcq; aliud nihil dici, nisi quod Pater, Verbum & Spiritus sanctus unusquisq; testimonio suo hoc unum testatur, quod Jesus est Christus seu Dei Filius, præter id, quod jam dictum est, nempè quod idem dicitur de Spiritu & aqua & sanguine, in quib. alia unitas esse nequit, quàm testimonii.* Enidinus in explicat. h. l. *Quod quidam dicunt, illis verbis, & hi tres unum sunt, quæ tribus*

cælestib.

cœlestibus testibus subjuncta sunt, essentiæ identitatem denotari, quasi diceret Apostolus, Patrem, Verbum & Spiritum sanctum esse ejusdem essentiæ, id & scopus Apostoli & multorum Trinitariorum ingenua confessio & ratio ex sequenti clausula depromta refellit. Goslavus contra Keckerm. part. 1. cap. 4. p. 44. *ex eo, quod Spiritus S. testimonium æquivaleat testimonio Patris, non consequitur ejusdem esse essentiæ Spiritum sanctum cum Patre, nam nemo nescit, mille etiam homines æquale testimonium perhibere posse de aliquo, quippe æquale testimonium consistit non in unitate singularis essentiæ, sed si omnes testentur, prout res ipsa vel gesta vel visa vel audita sit.* pag. 50. *non concedo his verbis & hi tres unum sunt, unitatem voluntatis intelligendam esse. Ratio contextus suadet. Et verba ipsa ingerunt de unitate testimonii sermonem fieri. Jesum enim esse Filium Dei, ut apparet ex vers. 5. hisce verbis probatur.* Schmaltz. contra 1. disp. D. Frantz. p. 6. *Pater, Verbum & Spiritus sanctus non sunt unus, sed unum, idq; consensu, ut Spiritus, aqua & sangvis unum sunt.*

12. Photinianis assurgit Eras. in annot. h. l. p. 769. *Cùm id quod de testimonio aquæ, sangvinis & Spiritus dictum est, unum sunt, referatur non ad eandem Naturam, sed ad consensum testimonii, an putamus Arianos tàm stupidos futuros, ut non idem hoc loco interpretentur de Patre, Verbo & Spiritu? &c. hoc non est confirmare fidem, sed suspectam reddere, si nobis hujusmodi lemmatis blandiamur. Fortassè præstiterat hoc piis studiis agere, ut nos idem reddamur cum Deo, quàm curiosis studiis decertare, quomodo differat à Patre Filius aut ab utroq; Spiritus. Certè ego, quod negant Ariani, non video posse doceri, nisi ratiocinatione.* Assurgit etiam Calvinus in comm. h. l. p. 85. *Tres esse unum, non refertur ad essentiam, sed consensum potius.* Calvinum sequuntur Beza in annot. pag. 615. *Unum sunt, id est, ita prorsus consentiunt, ac si unus testis essent, uti reverâ unum sunt, si ἑνότητα spectes, sed de ea, ut mihi quidem videtur, non agitur hoc loco, quod & glossa interlinearis agnoscit,* unde ad illorum suffragium provocat Enidinus, sic scribens d. l. *Erasmus, Calvinus, Beza, Hemmingius & alii quamplurimi Tripersonati* (sic ex Socin. in animadv. p. 79. hæreticus blasphemat) *Dei cultores ultrò fatentur hic agi de consensu, non essentia aut Naturæ unitate.* Sed Cal-

Calvino & Bezæ meritò opponuntur alii ex ipsorum assectis, qui veritatem nobiscum agnoscunt & propugnant. Polanus lib. 3. Syntagm. cap. 7. p. 219. *Si quis contra hoc testimonium exceperit, ultima ejus verba, nempè & hi tres unum sunt, non de essentiæ, sed de consensionis in testimonio unitate esse intelligenda, ut sensus sit, hos tres in unum consentire, testimonium ipsorum rem eandem esse, adversus eum replicamus, quod fallatur ignoratione elenchi, quasi pugnarent ista duo, Patrem, Filium & Spiritum sanctum esse unum essentia Deum & eosdem in unum consentire testimonio suo, cùm unitas essentiæ ipsorum sit fundamentum unitatis voluntatis, unitas verò voluntatis sit fundamentum consensus in testimonii dictione.* Piscator in comm. h. l. *Unum sunt videlicet essentiâ, proinde etiam voluntate.* Confer inquit, *cum dicto Johan. 10. v. 30. Ego & Pater unum sumus sc. essentiæ, ac proinde etiam potentiæ ratione.* Keckerm. in system. Theol. cap. de Trinit. *Dicimus ex hoc loco 1. Joh. 5. unitatem essentiæ posse obtineri, &c.*

13. Antequam verò essentiæ unitatem & ὁμοουσίαν trium divinitatis personarum ex hoc dicto demonstremus, duo sunt notanda. 1. Photinianos *non consentire* in responsione ad nostrum argumentum, & in explicatione illius unitatis, quam Apostolus Patri, Verbo & Spiritui sancto tribuit. Socinus n. in animadv. d. p. scribit, *verba illa, & hi tres unum sunt, nihil aliud significare posse, quàm idem omninò testantur, nec ullâ ratione essentiæ aliquam unitatem declarare.* Existimat igitur nostram interpretationem, quâ verba Apostoli de unitate essentiæ accipimus, non posse in verbis Johannis ullo modo locum habere. Sed Goslavus contra Keckerm. p. 50. contendit, *Si vel maximè concedatur, de unitate non solùm testimonii, sed etiam consensus & voluntatis Apostolum loqui, tamen essentiæ singularis unitatem ex ea non posse deduci. Falsum est* (inquit) *ex unitate voluntatis unitatem essentiæ consequi, licet sit verissimum, quod* (Keckermannus) *rationis loco subjicit, eam demum voluntatem verè unam esse, quæ fundamentum habet in unitate essentiæ. Verè quidem una est voluntas, quæ fundamentum habet in unitate essentiæ, sed non sola est tamen una, quæ talis. Nam & illa est una & verè, quæ fundamentum habet in pluribus essen-*

tiis numero differentibus quotiescunq; omnes & æqualiter volunt unum sive hoc sive illud, &c. Hæc ille⸗. Atqui si in verbis Apostoli interpretatio de unitate consensus & voluntatis nullâ planè ratione locum habere posset, quorsum opus esset amoliri illam collectionem. Sunt unum voluntate⸗. Ergò & una numero essentia? Tacitè ergò concedit Goslavus verba Johannis quidem ferre hanc interpretationem, quâ de voluntatis unitate accipiuntur, sed nullâ necessitatis lege nos cogi, ut eadem sic interpretemur. At quomodo id congruit cum eo, quod ex Socino audivimus, verba illa *non posse aliud significare*, quàm testimonii (non autem voluntatis) unitatem. Idipsum manifestius erit ex hac collatione⸗. Goslavus d. l. ἀπορρήτως negat, verbis illis unitatem *voluntatis (& consensus*, hæc enim duo in ead. pag. lin. 5. conjungit (intelligendam esse, sed Schmaltzius d. l. de *unitate consensus* eadem disertè exponit. 2. nequaquam à nobis denegari, de unitate testimonii Apostolum loqui, (id enim ex textus Apostolici scopo & serie satis perspicuum) sed hoc in quæstione esse, an de *sola* testimonii unitate exclusâ divinæ essentiæ unitate Apostolus loquatur? quando Patrem, Verbum & Spiritum S. tres illos in cœlo testes unum esse asserit, an verò tum de testimonii, tum de divinæ essentiæ unitate verba ejus accipienda sint. Photiniani affirmant prius, nos autem posterius. Expendenda igitur sunt utriusq; partis fundamenta⸗.

Argumenta nostræ sententiæ pro adstruenda ὁμοουσίᾳ.

1. ex scopi consideratione⸗.

14. Primum fundamentem ducimus *ex Apostolici scopi consideratione.* Propositum est Apostolo, ut superiùs monuimus, demonstrare, quod certâ & indubitatâ fide firmiter statui possit ac debeat, *Jesum esse Christum Dei Filium*, ad quod probandum adducit tres in cœlo, tres in terra testes, ac de prioribⁱ. dicit, quod *sint unum*, de posterioribus, quod *sint in unum*, sive in unum consentiant⸗. Huic scopo vel maximè congruit, si per τὸ *esse unum*, de tribus in cœlo testibus prædicatum divinæ essentiæ unitas accipiatur, ut patet ex hac collectione⸗. Quorum testium est una numero essentia, illorum⸗ testimonio firmissimè & tutissimè credi potest. Sed Patris, Verbi & Spiritus sancti est una numero essentia. Ergò Patris, Verbi & Spiritus sancti testimonio firmissimè & tutissimè credi

credi potest. Major est immotæ veritatis, quorum enim testium est una numero essentia, illorum etiam est una numero voluntas, atqui ubi una numero voluntas, ibi consensus maximè unus, ubi consensus maximè unus, ibi unitas testimonii summa & maximè una, ubi unitas testimonii summa & maximè una, ibi testimonio firmissimè & tutissimè credi potest. E. redeundo ad primum, ubi testium est una numero essentia, ibi testimonio eorum firmissimè & tutissimè credi potest. Proinde cùm Apostolus non potuerit certiùs & firmiùs afferre testimonium, quàm quod à tribus testibus ὁμοθυμαδὸν de Christo datum, utiq; nullo modo verisimile est, quod in accurata illa tractatione voluerit illud prætermittere. Refero hûc confessionem Goslavi d. l. *Verissimum est* (inquit) *quod Kecker. rationis loco subjicit, eam demùm voluntatem verè esse unam* (hoc est maximè esse unam) *quæ fundamentum habet in unitate essentiæ.* At ubi voluntas verè & maximè una, ibi etiam testimonii unitas est maxima.

15. 2. *Ex testium distinctione.* Apostolus *duas* testium *classes* constituit, tres in cœlo, tres in terra testes nominans, ac de prioribus dicit, quod sint unum, de posterioribus, quod sint in unum. Atqui si horum testium omnium eadem per omnia esset unitas, utiq; non constituisset duas eorum classes, nec tres in cœlo testes à tribus in terra testibus distinxisset, nec specialem ac peculiarem unitatis mentionem utrique testium classi subjecisset, sed in genere dixisset. *Tres sunt testes in cœlo, tres in terra, & hi sex testes unum sunt.* Jam verò ex textu Sole meridiano clariùs apparet, Apostolum distinctè enumerare duas testium classes, & utriq; classi subjungere unitatis assertionem, quod gravi & singulari consilio factum esse nemo dubitare potest, qui Spiritus sancti impulsu ipsum scripsisse firmiter statuit. Argumentum potest esse tale. Qui testes non solùm in peculiarem classem referuntur, & ab aliis distinguuntur, sed eorum etiam unitas ab aliorum testium unitate manifestè distinguitur, illorum testium unitas non est omnibus modis atq; absolutè eadem cum aliorum testium unitate. Sed tres in cœlo testes ab Apostolo non solùm in peculiarem classem referuntur, & à tribus in terra testibus distinguuntur,

2. *ex testiũ distinctione.*

sed eorum etiam unitas à trium in terra testium unitate manifestè distinguitur. Ergo trium in cœlo testium unitas non est omnibus modis atq; absolutè eadem cum trium in terra testium unitate. Jam verò constat omnium Interpretum, ipsorum etiam Photinianorum consensu, trium in terra testium unitatem consistere in unitate testimonii. Ergò unitatem trium in cœlo testium longè arctiorem & altiorem esse, oportet, aliàs à testium illorum unitate eam distingui nullo modo fuisset necessarium.

3. ex unitatis descriptione.

16. 3. *Ex unitatis utriq; testium classi attributæ descriptione.* Ubi diversitas vocum & phrasium, ibi etiam diversitas meritò statuitur in reipsa, ut patet ex relatione signi & signati. Voces & phrases sunt instar signi, res per voces & phrases denotata est instar signati. Mutato igitur signo mutatur res ipsa significata. Jam verò in describenda testium in cœlo ac testium in terra unitate diversis vocib. ac phrasibus Apostolus utitur, nam de testibus in cœlo dicit, καὶ οἱ τρεῖς ἓν εἰσιν, sed de testibus in terra dicit, καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἕν εἰσιν, ibi *absolutè & simpliciter* dicitur quod sint unum, proinde meritò non de testimonii tantùm, sed de ipsius etiam essentiæ unitate accipitur, hîc verò *determinatè & secundùm* quid unitas illis tribuitur, quod videlicet sint in unum, quod in unum tendant, in unum consentiant, & in unum testificentur. Meritò ergò statuitur, quod alia unitas prædicetur de tribus in terra testibus, quàm quæ fuit de tribus in cœlo testibus prædicata, illa est & testimonii & essentiæ singularis unitas, hæc verò duntaxat testimonii unitas. Regerit Socinus in comm. p. 423. *Græcam editionem Complutensem itidem de trib. in cœlo testibus habere, quod sint* εἰς τὸ ἕν *proinde non posse hîc diversitatem aliquam statui.* Idem urget Moscorov. de Baptism. aquæ & alii ex Photin. Resp. 1. in Complutensi editione verba illa καὶ οἱ τρεῖς εἰς τὸ ἓν εἰσι non leguntur tribus in terra testibus addita, facilè ergò fieri potuit, ut in textu fieret quædam trajectio. 2. Unius Codicis autoritas non tollit fidem reliquorum omnium. Robertus Stephanus protulit antiquissimos & probatissimos Codices, in quibus utriq; testium classi unitatis descri-

scri-

ſcriptio additur, ita tamen ut teſtes in cœlo dicantur *eſſe unum*, teſtes verò in terra dicantur εἰς τὸ ἕν. 3. Salmeron reſpondet eſſe phraſin Hebraicam, quæ itidem ad eſſentiæ unitatem applicari poſſit. Sic de conjugibus, *erunt duo in carnem unam*, id eſt, caro una. *Eſto mihi in protectorem*, id eſt, protector. *Eritis mihi in filios*, id eſt, filii. Sed quia Græci Codices correctiores aliter legunt, ideo non opus eſt, ut eò abeamus, verùm in diſtinctione phraſeos Apoſtolicæ ſimpliciter acquieſcimus.

17. 4. *Ex teſtium horum appellatione*. Quos teſtes Apoſtolus priore loco nominat, eos peculiariter vocat teſtes *in cœlo*, hoc eſt, Naturâ divinos, ut ſuperiùs oſtendimus ac manifeſtum ex ſubjuncta concluſione. *Si teſtimonium hominum accipimus, teſtimonium Dei majus eſt*, quam ad tres in cœlo teſtes peculiariter & propriè pertinere itidem ſuperiùs §. 3. fuit monſtratum. Sic ergò concludimus. Quicunq; teſtes ſunt Naturâ divini teſtes & verus Deus, illi ſunt unum eſſentiæ unitate. At Pater, Verbum & Spiritus ſanctus ſunt teſtes Naturâ divini & verus Deus. Ergò ſunt unum eſſentiæ unitate. Majorem demonſtramus ex omnibus illis dictis, quæ probant verum Deum eſſe unum & quidem unitate unius numero eſſentiæ, quæ eſt maxima & arctiſſima unitas. Si enim verus Deus non eſt niſi unus in eſſentia, ac ſi Pater, Verbum & Spiritus S. ſunt teſtes Naturâ divini & verus Deus, utique inde neceſſariò conſequitur, quod Pater, Verbum & Spiritus S. ſint unum eſſentiæ unitate, vel quod idem eſt, unam & indiviſam eſſe Patris, Filii & Spiritus S. eſſentiam. De Patre conſtat, quod eo modo ſit in cœlo atq; inde teſtificetur de Chriſto, ut interim ſuâ eſſentiâ & majeſtate infinitâ cœlum & terram impleat. Jam verò de Verbo & S.S. non minùs quàm de Patre aſſerit Apoſtolus, quod ſint in cœlo teſtes, atq; inde de Chriſto teſtificentur. Ergò Verbum ſive Filius & S.S. non minùs quàm Pater eo modo ſunt in cœlo, atq; inde teſtificantur de Chriſto, ut ſuâ eſſentiâ & majeſtate infinitâ impleant, ac per conſequens erunt unius indiviſæ eſſentiæ cum Patre. Hûc referri etiam poſſunt omnia & ſingula dicta, quæ probant Filium eſſe verum & æternum Deum ac Spiritum ſanctum eſſe

4. ex teſtium appellatione.

verum & æternum Deum. Quia enim *præter & extra* unum verum Deum non est alius Deut. 4. v. 35. Es. 44. v. 6. & tamen non solùm Pater, sed etiam Filius & S.S. sunt verus Deus, utiq; ex eo sequitur, quod Filius nó sit extra Patrẽ, sed in Patre Joh. 14. v. 10. ac proinde unius essentiæ cum Patre, quia *nihil est in Deo, quod non sit ipse Deus*, quodq; S.S. non sit extra Patrem & Filium, sed in Pitre & Filio ac proinde unius cum Patre & Filio essentiæ. Deniq; hûc pertinent omnia & singula dicta, quæ unum & idem nomen Jehovah soli vero Deo proprium, unas easdem essentiales divinas proprietates, una eademq; opera divina, unum eundemque cultum & gloriam divinam Patri, Filio & Spiritui sancto tribuunt. Cùm enim nomen Jehovah ab essentia ductum sit, cùm proprietates essentiales sive attributa Dei essentialia non differant realiter ab ipsa Dei essentia, sed cùm ea simplicissimè sint ταυτότι, cùm Deus agat seipso & per seipsum, non per superadditam quandam essentiæ facultatem, cumq; divinus cultus & gloria non nisi vero Deo tribuenda sit, inde immotè sequitur, ex uno eodemq; nomine essentiali, ijsdem proprietatibus essentialibus, ijsdem operibus divinis & eodem cultu divino Patri, Filio & Spiritui sancti attributo unam numero essentiam divinam in Patre, Filio & Spiritu S. esse agnoscendam. Sic ergò non solùm ex modo loquendi, sed etiam ex subjecta materia intelligimus unitatem illam, quæ tribus in cœlo testibus tribuitur, de Naturæ & essentiæ unitate esse accipiendam: quia enim dicuntur testes Naturâ divini & verus Deus, & verò Natura divina non est nisi una numero, ideò non quocunque modo, sed Naturâ unum sunt, ex qua Naturæ unitate testimonii unitas consequitur, cui ex naturæ unitate firmissimum accedit robur, ut ostendimus superiùs. Addimus autem hoc loco illud, quod Natura divina sit immutabilis, invariabilis, veracissima, &c. ex eo igitur indubitata firmitas huic testium de Christo testimonio conciliatur, quod scilicet procedat à talibus testibus, qui sunt unius immutabilis & invariabilis essentiæ, ac proinde etiam in testimonio suo constantissimæ & immotæ veritatis.

6. ex testiũ in cœlo conjunctione.

18. 5. *Ex testium in cœlo conjunctione.* D. Apostolus Patrem, Verbum & Spiritum S. tanquam tres in cœlo conjungit, non Patrem solum, nec Filium solum, nec Spiritum sanctum

solum

ſolum teſtem nominat, ſed hoſce tres conjunctim teſtes ſtatuit,& de omnibus tribus addit,quod ſint unum,unde ſic colligimus. Qui teſtes ſimul conjunguntur,& eodem modo unum dicuntur, eorum etiam in unitate ſimilis eſt ratio. Atqui Pater, Verbum & Spiritus S. ſimul conjunguntur,& eodem modo unum dicuntur. E. eorum in unitate ſimilis eſt ratio,& per conſequens, ut Pater & Spiritus S. ſunt unum, ita quoq; Pater & Filius. Item Filius & Spiritus ſanctus, ac proinde Pater, Filius & S.S. ſunt unum. Jam verò Pater & Spiritus ſanctus ſunt unum eſſentiâ. Ergo etiam Pater & Filius, Item Filius & S. S. ac proinde Pater, Filius & Spiritus ſanctus ſunt unum eſſentiâ. Aſſumtum conſtat ex omnib. illis Scripturæ dictis, quæ S.S. veram Deitatem probant. Si enim eſt unus tantùm Deus & tamen Spiritus S. eſt ac dicitur Deus non minùs quàm Pater, utique erit unius cum Patre eſſentiæ. Sed nec ipſi Photiniani aſſumtionem negare poſſunt, fatentur enim *Spiritum S. non eſſe creaturam, ac injuriam ſibi fieri clamitant, quaſi ex Spiritu S. nudam faciant creaturam, cùm ea Spiritui ſancto tribui ultrò cõcedant, quæ non niſi ſoli & æterno Deo tribuuntur, idq; ideò quia ſit virtus & efficacia Dei.* Socinus contra Bellarm. & Wiekum p. 488. Catech. Racov. p. 247. Oſtorod. in Inſtit. Germ. cap. 4. pag. 32. quin & concedunt *Spiritum S. ita appellari poſſe Deum, quemadmodum juſtitia & miſericordia Dei.* Oſtorod. contra Tradelium part. 2. cap. 12. p. 201. *Spiritum S. eſſe Dei attributum ac proprietatem, qualia ſunt ſapientia & juſtitia Dei.* Schmaltzius in examinat. 157. errorum p. 36. ex quibus ſic inferimus. Virtus & potentia Dei eſt eſſentialiter cum Deo unum. At Spiritus S. juxta Photinianos eſt virtus & potentia Dei. Ergo eſt eſſentialiter cum Deo unum. Major patet ex ſimplicitate divinæ eſſentiæ. Item. Quomodo juſtitia & miſericordia Dei ſe habent ad Deum, ſic ad eundem ſe habet S.S. ex Photinianorum hypotheſi. Jam verò juſtitia & miſericordia ſic ſe habent ad Deum, ut ſint cum eo eſſentialiter unum. Ergò & Spiritus S. cum Deo eſt eſſentialiter unum. Proinde videmus per hanc teſtium in cœlo conjunctionem adverſariorum exceptionibus D. Apoſtolum occurrere voluiſſe. Quia enim Patri & Filio duab. diſtinctis perſonis Spiritum S.

tan-

tanquam tertium teſtem conjungit, eo ipſo docet, Spiritum ſanctum etiam eſſe perſonam, & ſic tres eſſe in Deitate perſonas. Viciſſim, quia Patri & Spiritui ſancto, qui ſunt eſſentialiter unum, Verbum ſive Filium tanquam teſtem conjungit, & de omnibus tribus teſtibus addit, quod ſint unum, eo ipſo docet, etiam Filium cum Patre & Spiritu ſancto eſſentialiter eſſe unum, & ſic reipsâ docet tres eſſe unius divinæ eſſentiæ perſonas, quod præfractè negant Photiniani.

6. ex teſtiũ horum cõſenſione.

19. 6. *Ex teſtium horum conſenſione.* Tres in cœlo teſtes eſſe unum *conſenſu* concedit Schmaltzius, ut ſuperiùs vidimus & negari nullâ veritatis ſpecie poteſt, ex eo igitur ſic concludimus. Qui teſtes Naturâ divini ſunt unum conſenſu, illi etiam ſunt unum eſſentiâ. Pater, Verbum & Spiritus S. tanquam teſtes Naturâ divini ſunt unum conſenſu. Ergò ſunt unum eſſentiâ. Majorem ſic probamus. Qui teſtes Naturâ divini ſunt unum voluntate, illi etiam ſunt unum eſſentiâ. Qui teſtes Naturâ divini ſunt unum conſenſu, illi etiam ſunt unum voluntate. Ergò qui teſtes Naturâ divini ſunt unum conſenſu, illi etiam ſunt unum eſſentiâ, unde noſtrates dicunt, ex eo, quod adverſarii concedunt *tres in cœlo teſtes eſſe unum conſenſu & voluntate* rectè inferri, quod ſint unum eſſentiâ. Goslavus contra Keckermannum pag. 50. utramq; præmiſſarum negat. Contra propoſitionem ſic excipit. *Falſum eſt ex unitate voluntatis unitatem eſſentiæ conſequi licet ſit veriſſimum, quod ſubjicit* (Keckermannus) *rationis loco, eam demum voluntatem verè eſſe unam, quæ fundamentum habet in unitate eſſentiæ. Verè quidem una eſt voluntas, quæ fundamentum habet in unitate eſſentiæ, ſed non ſola eſt tamen una, quæ talis. Nam & illa eſt una & verè, quæ fundnmentum habet in plurib. eſſentiis numero differentibus, quotieſcunq; omnes & æqualiter volunt unum ſive hoc, vel illud. Hâc ratione poſſum dicere, Apoſtolorum in propaganda veritate divina fuiſſe unam voluntatem. Breviter fallacia eſt conſequentis. Voluntas quæ fundamentum habet in unitate eſſentiæ ſingularis eſt una. Sed non contra, voluntas, quæ eſt una, habet fundamentum in unitate eſſentiæ.* Reſp. Goslavus non aſſumit propoſitionem argumenti noſtri integram, ſed truncatam. Non enim abſolutè & ſimpliciter dicimus, qui-

quicunq; ſunt unum voluntate, illi etiam ſunt eſſentiâ unum, novimus enim duos, tresvé homines poſſe eſſe unum voluntate & conſenſu, qui tamen non ſunt eſſentiâ ſingulari ſive numericâ unum, ſed expreſsè addimus. Quicunq; teſtes *Naturâ divini* ſunt unum voluntate, illi etiam ſunt eſſentiâ unum, quæ propoſitio eſt firmiſſima & certiſſima, cùm voluntas & eſſentia in Deitate non differant realiter ſed ſimpliciſſimè ſint unum. Diſtinguendum ergò inter eos, qui ſunt unum *voluntate humanâ* & qui ſunt unum *voluntate divinâ*. Qui voluntate humana unum ſunt, illorum non eſt ſtatim una numero eſſentiâ, ſed qui voluntate divinâ unum ſunt, illorum omninò & neceſſariò eſt una numero eſſentia, quia voluntas & eſſentia in divinis unum ſunt. Si dicas, *id in quæſtione adhuc eſſe, an Pater, Verbum, & Spiritus S. ſint unum voluntate divinâ?* Reſp. id colligi ex eo, quod dicuntur teſtes in cœlo, ut monuimus ſuperiùs, item ex eo, quòd Pater & Spiritus conjunguntur, quos eſſentialiter & divinè unum eſſe Photiniani negare non poſſunt, deniq; ex omnibus illis Scripturæ dictis, in quibus Patris, Filii & Spiritus S. Deitas aſſeritur. Si enim Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, & Spiritus S. eſt Deus, utiq; eorum voluntas eſt divina.

20. Contra aſſumtionem ſic excipit Goslavus l.d. *Non concedo his verbis, & hi tres unum ſunt, unitatem voluntatis intelligendã eſſe. Ratio contextus ſuadet, & verba ipſa ingerunt de unitate teſtimonii ſermonem fieri, Jeſum enim eſſe Filium Dei, ut apparet ex verſ. 5. hiſce verbis probatur.* Reſp. de unitate teſtimonii ſermonem eſſe concedimus, ſed ab ea unitatem voluntatis excluſam eſſe negamus, id quod ſic demonſtramus. Quicunq; ſunt tres perſonæ volentes, illi ſi ſunt unum conſenſu, ſunt etiam unum voluntate, quia trium volentium conſenſus, non niſi à voluntate proficiſci poteſt. Sed hîc dantur tres perſonæ volentes. De Patre & Filio Photiniani id concedere coguntur, de Spiritu ſancto expreſsè dicitur, quòd diſtribuat ſingulis καθὼς βούλεται *prout vult* 1. Cor. 12. v. 11. ergò & ipſi tribuitur voluntas, ubi à proprietate literæ ſine cauſa Photiniani diſcedere non debent. Quemadmodum ergò ſi de tribus hominibus volentibus ſive facultate volendi inſtructis dicam

quod ſint unum in conſenſu & teſtimonio, ex eo rectè infertur, quod ſint unum voluntate, ita quoq; ex eo, quod de tribus in cœlo teſtibus Johannes aſſerit, eos eſſe unum in conſenſu & teſtimonio, rectè inferri poteſt, quod ſint unum voluntate, quæ collatio confirmatur ex eo, quod teſtimonium horum trium in cœlo teſtium cum teſtimonio hominum poſtea ab ipſo Apoſtolo confertur. Si dicas eſſe illos unum voluntate prout voluntas accipitur non pro *facultate volendi*, quæ eſt in ſingulis diſtincta, ſed pro *ipſo volitionis actu* circa unum idemq; objectum verſante, recurrimus ad id, quod ſuperiùs diximus, diſtinguendum eſſe inter *voluntatem divinam & humanam*, in hac facultas volendi & actus volitionis ſunt diſtincta, ideoque ab unius unitate non licet progredi ad unitatem alterius, ſed in divina voluntate hæc ſunt ταυτὸ & ſimpliciſſimè uum.

7. ex loci paralleli collatione.

21. 7. *Ex loci paralleli collatione.* Conferimus hunc locum cum dicto Chriſti Johan. 10. v. 30. *Ego & Pater unum ſumus*, quod idem Apoſtolus ſolus ex omnibus Evangeliſtis annotavit, & ex illa collatione tale petimus argumentum. De qua unitate accipienda ſunt verba Chriſti, quando dicit. *Ego & Pater unum ſumus*, de eadem etiam accipienda ſunt verba Johannis, quandó inquit. *Pater, Filius & Spiritus S. ſunt unum*. Atqui verba Chriſti accipienda ſunt de unitate eſſentiæ. *Vox hæc unum* inquit Iſidor. Peluſiot. lib. 1. Epiſt. 138. *indicat eſſentiam unam, vox autem ſumus duas perſonas eſſe ſignificat. In duobus illis verbis* ait Auguſtin. tractat. 36. in Johan. *quòd dixit unum liberat te ab Ario, quòd dixit ſumus, liberat te à Sabellio, &c.* Ergò etiam de eſſentiæ unitate verba Johannis accipienda ſunt. Majorem fortè non negant Photiniani, quia utrobiq; de eodem ſubjecto Patre ſcil. & Filio agitur, cui Johannes in Epiſtola adjungit Spiritum S. Minorem verò totis viribus negant. Socinus contra Bellarmin. & Wiekum cap. 5. claſs. 3. arg. 4. p. 260. Oſtorod. in Inſtit. Germ. cap. 9. pag. 61. Catech. Racov. Germ. p. 121. de *conſenſus voluntatis & potentiæ*, non autem *eſſentiæ* unitate ſermonem eſſe diſputant. quam exceptionem hauſerunt ex Calvino, qui in comm. ejus loci ſic ſcribit. *Abuſi ſunt hoc loco veteres, ut probarent Chriſtum*

ſtum eſſe Patri ὁμοούσιον, neq; enim Chriſtus de unitate ſubſtantiæ diſputat, ſed de conſenſu, quem cum Patre habet, quicquid ſcilicet geritur à Chriſto, Patris virtute confirmatum iri, unde ad Calvini interpretationem provocat Georg. Blandrata in Colloq. Tranſylv. act. diei 2. lit. E. 2. f. a. *Hic locus* (inquit) *cùm à præſtantibus Doctoribus ſæpè confutatus ſit, ſilentio eum prætermittamus, interim auditores relegamus ad unicum Calvinum, qui veteres Scriptores palàm carpit, qui locum hunc ad eſſentiæ unitatem detorquent.*

22. Sed Arianæ huic detorſioni jamdudum occurrerunt pii veteres tribus potiſſimum argumentis. 1. *ex ipſo verborum tenore*. Chriſtus non dicit. *Ego & Pater unum* volumus, ſed unum *ſumus*. Fulgent. lib. contra Arianos in reſp. ad 7. object. *Dictum hoc, Ego & Pater unum ſumus, hi qui divinæ unitatis in Patre & Filio ſignificationem tenuare contendunt, non ad ſubſtantialem unitatem. Sed ad voluntatis ſtudent referre concordiam. Quòd ſi ſic Dominus vellet, intelligi poſſet dicere. Ego & Pater unum volumus, non ego & Pater unum ſumus.* Victor Uticenſis lib. 2. de perſec. Vandal. *Ut adhuc evidentius Patris & Filii ſubſtantiæ unitas & divinitatis æqualitas oſtendatur, ipſe in Evangelio dicit. Ego & Pater unum ſumus, quod non ad unitatem tantummodò voluntatis, ſed ad unam refertur eandemq; ſubſtantiam, quia non dixit, ego & Pater unum volumus, ſed unum ſumus. Ex eo enim quod ſunt, non ex eo tantùm, quod volunt paternæ unitatis declaratur aſſertio.* 2. Ex *contextus ſerie*. Chriſto propoſitum eſt demonſtrare, quod nemo oves ſuas ex manibus ſuis erepturus ſit, demonſtrat id ex eo, quia nemo eas eripere poſſit ex manibus Patris. Rationem connexionis oſtendit hanc, quia ipſe & Pater ſint unum. Naſcitur inde tale argumentum. Si inde atq; ideò nemo poteſt oves è manu Chriſti rapere, quia nemo poteſt eas ex manu Patris rapere, ſequitur quod una ſit manus, id eſt, una potentia, & per conſeq. etiam una eſſentia Chriſti, quod ipſum diſertis verbis Chriſtus probat, quando unitatem potentiæ expreſſurus utitur verbo eſſentiæ. *Ego & Pater unum ſumus*. Sed illud Ergo & hoc. Pater vult & operatur ea voluntate & potentiâ, quæ eſt ipſa ejus eſſentia, ut conſtat. Si ergò Filius

vult & operatur eâ voluntate & potentiâ, quæ est Patris voluntas & potentia, utiq; etiam vult & operatur eâ voluntate & potentiâ, quæ est ipsa Patris essentia. Basil. libr. 1. contra Eunom. *Unum pro æqualitate virtutis hîc accipi ex ipsis Evangelii verbis demonstrabimus. Cùm n. dixisset, quod nullus aliquem eorum, qui in me crediderunt, è manu mea rapiet, & quod Pater, qui mihi dedit, omnib. major est, & è cujus manu nemo quicquam rapiet, adjunxit. Ego & Pater unum sumus, unde palam est, non aliter quàm pro æqualitate ac identitate virtutis unum accepisse.* Eandem contextus seriem urget Elias Cretensis in comment. ad orat. 4. Nazianz. Bernh. serm. 71. in Cant. col. 707. *Patri Filioq; est Natura, essentia, voluntas non modò una, sed unum. Hoc nempè est illis esse, quod Naturam esse, hoc velle, quod esse vel Naturam esse, &c. Unitatem ergò illam non putanda est facere essentiarum qualiscunq; conjunctio seu consentio voluntatum, quia non sunt* (plures essentiæ & voluntates) *Una enim illis* (Patri & Filio) *& essentia & voluntas, uni verò non est consensus, non compositio, non copulatio, aut talè aliquid. Duas esse oportet adminùs voluntates, ut sit consensus duas æquè essentias, ut sit conjunctio sive unitio per consensum. Horum nihil in Patre & Filio, quippe nec essentias duas, nec duas habentibus voluntates. Una est utraq; res illis vel potiùs unum duo ista in illis. Unum & cum illis sunt ac per hoc ipsi sicut incomprehensibiliter, ita incommutabiliter invicem in se manentes verè & singulariter unum sunt. Si quis tamen inter Patrem & Filium dicat esse consensum, non contendo, dummodò non voluntatem unionem, sed unitatem intelligat voluntatis. 3. ex consequente.* Judæi enim audientes, quod Christus se & Patrem dicat unum, statim intelligunt de essentiæ unitate ipsum loqui, unde etiam lapidibus cupiunt hanc blasphemiam (quam falsò talem putabant) vindicare. Augustin. tract. 48. in Joh. *Ecce Judæi intellexerunt, quod non intelligunt Ariani, ideò enim irati sunt, quoniam senserunt non posse dici, ego & Pater unum sumus, nisi ubi est æqualitas Patris & Filii.*

Arg. Photinianorũ contra ὁμοούσιαν.

23. Atq; hæc sunt argumenta nostræ sententiæ, quibus de essentiæ unitate accipiendum esse probamus, quod Johannes de tribus in cœlo testibus dicit. *Et hi tres unum sunt.* Ex his

his facilè apparet, quid ad contraria adversariorum argumenta sit respondendum. 1. *Pater, Verbum & Spiritus sanctus eo modo dicuntur unum, quo postea Spiritus, aqua & sangvis dicuntur unum. Sed hi dicuntur unum non essentia, sed testificatione. Ergô & illi.* Erasmus in resp. ad notat. Lei p. 233. *An hæc tria, Spiritus, aqua & sangvis sunt unum sicut Pater, Filius & Spiritus sanctus? nemo dicit, opinor, sed testimonii consensu sunt unum, ne unum ita Pater, Verbum & S.S. sunt unum.* Eandem collationem urgent Socinus, Enidinus, & Goslavus locis citatis. Resp. 1. *Pater,* Quidam respondent verba illa, *& hi tres unum sunt* (sic enim *Verbũ ac* vulgata reddidit) non haberi in omnibus Codicib. post tres in terra testes. Quindecim enim Manuscripti Codices Latini à Lovanienſibus Theologis in margine illius loci sunt notati, qui carent illis verbis. In editione Complutensi in margine hujus loci adducitur sententia Thomæ, qui in expos. secundæ decret. de summ. Trin. & fid. Cathol. scribit, *in veris exemplaribus illa verba, post tres in terra testes non legi, sed dici ab hæreticis Arianis hoc esse appositum ad pervertendum intellectum sanum præmissæ autoritatis de unitate essentiæ trium personarum sive testium in cælo.* Idem habet Innocentius c. In quadam tit. de celebrat. Missar. Sed quia Græci Codices antiquissimi & probatissimi hæc verba habent, ideò eâ responsione non utimur. 2. August. lib. 3. contra Maximin. cap. 22. respondet, Spiritum, aquam & sanguinem dici unum *propter rem significatam. Hæc* (inquit) *Sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant, semper attenditur, quoniam signa sunt rerum aliud existentia & aliud significantia. Si ergò illa, quæ his significantur, intelliguntur, ipsa inveniuntur unius esse substantiæ, tanquam si dicamus, petra & aqua unum sunt volentes, per petram significare Christum, per aquam Spiritum sanctum. Quis dubitat petram & aquam diversas esse Naturas? Sed quia Christus & S.S. unius sunt ejusdem Naturæ, ideò cùm dicitur, petra & aqua unum sunt, ex ea parte rectè accipi potest, quia istæ duæ res quarum est diversa Natura, aliarum quoq; signa sunt rerum, quarum est una Natura, &c. Si tria illa Spiritum, aquam & sangvinem per seipsa intuemur, diversitas habent singula quæq; substantias, ac per hoc non sunt unum. Si verò ea, quæ his significa-*

1. *Spiritus aqua & sangvis*

cata ſunt, velimus inquirere, non abſurdè occurrit ipſa Trinitas, quæ unus, ſolus, verus, ſummus eſt Deus, Pater, Filius & Spiritus, de quibus veriſſimè dici potuit. Tres ſunt teſtes & tres unum ſunt, ut nomine Spiritus ſignificatum accipiamus Deum Patrem, nomine ſangvinis Filium, nomine aquæ Spiritum ſanctum.

3. Quidam reſpondent, tres illos teſtes, Spiritum ſcil. quem Chriſtus in cruce emiſit, ſanguinem & aquam, quæ ex ejus latere profluxerunt, eſſe itidem unum, non quidem eſſentiâ numericâ, ſed tamen Naturâ, quia ſcilicet unam in Chriſto Naturam humanam conſtituunt. 4. Quidam recurrunt ad textum Syriacum & Arabicum, in quo dicitur. Et hi tres בְּחַד אִנּוּן *in uno ſunt*, ut accipiatur in genere Maſculino hoc ſenſu, ſunt in uno homine, in uno ſc. & eodem Chriſto. 5. Nos ſimpliciſſimè reſpondemus ex fundamentis ſuperiùs adductis, cumprimis ex ipſa phraſeos diverſitate, teſtes in cœlo dicuntur *eſſe unum*. Sed teſtes in terra dicuntur eſſe εἰς τὸ ἕν *in unum*, ergò major & arctior unitas ſignificatur.

2. *1. Cor. 3. v. 8. Paulus & Apollo dicũtur unum, nec tamen ſunt unius eſſentiæ.*

24. 2. *Paulus & Apollo dicuntur unum 1. Corinth. 3. v. 8. nec tamen ſunt unius ſingularis eſſentiæ. Ergo ex eo, quod Pater, Verbum & Spiritus ſanctus dicuntur unum, non poteſt eſſentiæ unitas colligi.* Reſp. 1. Auguſtinus loco proximè citato hanc proponit regulam. *Scrutare Scripturas Canonicas veteres & novas & inveni ſi potes, ubi dicta ſint aliqua unum ſunt, quæ ſunt diverſæ Naturæ at q; ſubſtantiæ.* Contra hanc Auguſtini regulam Maximinus Arianus produxerat hunc locum Apoſtolicum, in quo plantans & rigans dicuntur unum, ſed Auguſtin. in principio capitis illi reſpondet. *Quid te adjuvat, quod dilectionis conſenſione affirmas dictum eſſe de Paulo & Apollo, qui plantat & qui rigat, unum ſunt, cùm eos non oſtendas diverſæ ſubſtantiæ? ambo quippe homines erant. Si enim non diligerent invicem. Naturâ unum eſſent, dilectione non eſſent. Si autem unum Naturâ non eſſent, unum dici dilectione non poſſent.* Eodem ferè modo reſpondet Ambroſ. lib. 4. de fid. cap. 2. *Hoc Ariani ſi ſaperent, non objicerent. Quomodo enim negare conantur, quod Pater & Filius unum ſunt, cum Paulus & Apollo Natura unum ſint & fide? Sed tamen per omnia unum eſſe non poſſunt, quia neque comparari humana divinis.* 2. Si dicas, *inter*

Paulum

Paulum & Apollo esse unitatem essentiæ tantùm specificam non numericam, nos autem in tribus Deitatis personis statuere unam numero essentiam, respondeo nobis hoc sufficere, quod quæcunq;dicuntur unum eorum sit una essentia,quod autem unitas essentiæ in divinis non sit duntaxat specie, sed etiam numero una, id evidenter patet ex eo,quia divina essentia est infinita, & immaterialis, hoc est, materiæ minimè immersa, ac proinde in quacunq; persona est, in ea est tota ac perfecta. 3. non tàm ex modo loquendi absolutè considerato, quàm ex eodem disertè distincto ab altero, quo tres in terra testes dicuntur esse εἰς τὸ ἕν unitatem Naturæ & essentiæ tribus in cœlo testibus attribui colligimus. 4. quin & conjungimus rem ipsam, de qua hoc loco agitur. Dicuntur enim illi testes *in cœlo*, id est, divini quoad Naturam divinam, quæ cùm sit numero una & infinita, ideò non quocunq; modo, sed Naturâ unum sunt.

25. 3. *Qui adhæret Domino, est unus Spiritus* 1. Cor. 6.v. 17. *nec tamen una est Dei & credentium essentia. Ergò nec ex eo, quod Pater, Filius & S. S. dicuntur unum, essentiæ unitas inferri potest.* Resp. 1. conferuntur denuò loca non similaria, sed dissimilaria, de credentibus n. nuspiam sic dicitur, Deus & credentes unum sunt, sicut de Patre, Verbo & Spiritu sancto dicitur, *& hi tres unum sunt*, quod diligenter urget & inculcat Augustin. lib. 2. contra Maxim. cap. 12. 2. quæ pro astruenda essentiæ in Patre, Filio & Spiritu sancto unitate protulimus fundamenta, ea ad unitatem, sive ut rectiùs loquamur,unionem mysticam credentium cum Deo non possunt transferri. 3. unde Bernhardus loc. prox. citato diligenter unionem fidelium cum Deo ab unitate Patris, Filii & Spiritus sancti distinguit, sic enim scribit. *Anima, cui adhærere Deo bonum est, non antè se existimet ipsi perfectè unitam, nisi cùm & illum in se & se in illo manentem persenserit. Non quia vel tunc unum dicatur cum Deo, sicut unum sunt Pater & Filius, quamvis qui adhæret Deo, unus Spiritus est. Legi hoc, sed illud non legi. Non dico dè me, qui nihil sum, sed plane nemo nisi demens sive de terra, sive de cœlo usurpabit sibi illam unigeniti vocem, Ego & Pater unum sumus, & tamen ego, licet pulvis & cinis, fretus quidem Scripturæ au-*

3. *1. Cor. 6. v. 7. Qui adhæret Domino, est unus Spir. nec tamẽ una Dei & credentium essentia.*

autoritate minimè istud dicere verear, quia unus cum Deo Spiritus sum, &c. nam de tali adhæsione puto dictum. Qui adhæret Deo, unus Spiritus est, &c. Et postea. *Innuitur tibi unitatum, diversitas per unus & unum, quoniam nec Patri & Filio unus, nec homini & Deo unum poterit convenire. Tu si sapis, occasione acceptâ eris sapientior, prudenter advertens, ille quidem per unum unitatem substantiæ vel Naturæ, hic verò per unas æquè unitatem, sed longè alteram, quia inter substantias & Naturas, homini nempè & Deo, sua cuiq; & Natura & substantia est, cùm Patris Filiiq; constet penitùs esse unam. Vides illam nec unitatem esse, siquidem huic singulari, summæq; unitati comparetur? nam quomodo unitas, ubi numerus Naturarum, diversitas substantiarum? & tamen unus Spiritus dicitur & est cum Deo, anima adhærens Deo, nec præjudicat rerum pluralitas unitati huic, quam faciat non confusio Naturarum, sed voluntatum consensio. Et hæc ergò unitas. Cæterum quid ad illam, quæ non unione constat, sed extat æternitate? non planè illam quædam istar hujus mutua manducatio* (mystica) *facit, quia nec fit, est enim. Sed nec conjunctio vel quasi compositio vel tale aliquod, quid unius non est. Est autem Patri, Filioq; Natura, essentia, voluntas non modò una, sed unum. Hoc nempè est illis esse, quod Naturam esse, hoc velle, quod esse vel Naturam esse. Non est itaq;, quod unitas, quâ unum sunt Pater & Filius, dicatur fieri de Naturis vel essentiis vel voluntatibus, quia non sunt, non est, quod dicatur vel fieri, quia est, nec enim factitia est, sed nativa, &c.* quæ omnia latiùs ibidem explicat. 4. quando ergò Apostolus asserit, cùm qui Domino adhæret esse ἓν πνεῦμα, id non potest accipi de essentiali quadam hominis cum Deo unitate, nec de essentiali hominis in Deum conversione, sed juxta Scripturæ explicationem de spirituali & mystica unione, ut τὸ εἶναι ἓν πνεῦμα idem sit, quod ἓνωμα πνεύματι ἐν phrasi Hebraicâ dictum. Qui enim Deo agglutinatur per fidem & sinceram dilectionem, is est unus Spiritus, quia Spiritu Dei donatur, Spiritu Dei regitur & per Spiritum Deo adhæret. 1. Cor. 12. vers. 13. *in uno Spiritu omnes in unum corpus baptizati sumus, sive Judæi, sive gentiles, sive servi, sive liberi & omnes in unum Spiritum potati sumus.* Gal. 3. v. 28. *Non est Judæus nec Græcus, non est servus nec liber,*

non

non est masculus nec fœmina, omnes n. vos εἷς ἐστε *unus estis in Christo.* 5. Quod si nomen Κυρίου personaliter accipere velimus de Christo, de quo v. 15. dicitur, *nescitis, quoniam corpora vestra membra sunt Christi, &c.* verissimum est pios Christo non tantùm uniri spirituali & mysticâ unione, sed etiam inter Christum ratione assumtæ humanæ Naturæ & pios esse ὁμοουσίαν, de qua Apostolus Ephes. 5. vers. 30. *membra sumus corporis ejus ex carne ejus & ex ossibus ejus*, sed de ea hoc loco non agitur, quando is, qui Domino adhæret, unus Spiritus dicitur.

26. 4. Johan. 17. v. 21. *Christus orat, ut credentes unum sint, sicut Pater in ipso & ipse in Patre, ut & ipsi in illis unum sint. Jam verò credentium unitas est tantùm unitas consensus & dētes sunt affectus* Act. 4. v. 32. Rom. 12. v. 16. *Ergò & Patris & Filii unitas unum, cōtalis est, non autem essentialis.* Vide Erasmum in resp. ad notationes Lei p. 233. ubi Arianorum exceptiones profert & urget. *Cur* (inquit) *in una parte Augustinus cumq; hoc alii complures interpretantur unum esse consensum fidei, in altera eandem essentiam.* Resp. 1. ex verbis Christi rectè colligitur, Patrem & Filium esse unum unitate voluntatis, sed ex eo non potest nec debet inferri, quod non sint unum unitate essentiæ, neque enim latiùs extendi debet comparatio unitatis in credentibus cum unitate in Patre & Filio quàm scopus verborum Christi & fidei analogia permittit. Καθὼς hoc loco non designat æqualitatem, sed qualemcunq; similitudinem unitatis illius, quâ credentes sunt unum cum unitate quâ Pater & Filius unum sunt. 2. Sic jubet Deus, ut simus *sancti, sicut ipse sanctus est*, Levit. 11. vers. 44. ut simus *perfecti, sicut ipse perfectus est.* Matth. 5. v. 48. ut simus *misericordes, sicut ipse misericors est*, Luc. 6. v. 36. Sed ex eo non licebit colligere. Sanctitas, perfectio & misericordia sunt in nobis accidentia. Ergò etiam in Deo, quia hac ratione comparatio latiùs extenditur, quàm res ipsa permittit. 3. ex uuitate voluntatis in Patre & Filio, quam comparatio illa, qua Christus utitur, præsupponit, necessariò infertur unitas essentiæ in Patre & Filio, quia voluntas & essentia in Deo non sunt realiter distincta, sed simplicissimè unum. pii veteres hunc locum jampridem contra Arianos diligenter exposuerunt. Epiphan. contra Ariomanit. libr. 2. tom. 2.

4. *Joh. 17. v. 21. Credentium unitas sensu & affectu.*

hær. 69. p. 661. *Nec discipuli potuissent hoc implere* (ut secundùm concordiam essent unum) *neq; de ipsis hoc dici, nisi Verbum ubi venisset, ipsorum carne participasset & conjunxisset eos in seipso in adoptionem, unde Ecclesiam suam propinquam & cognatam vocat, &c. Ne putent aliqui Filium abalienatum esse à gloria Patris per hoc quòd gestavit carnem, muniens fidem & veritatis suæ cognitionem, ne aliquis servorum ipsius in suspicionem veniret & talis à spe excideret*, inquit, *ut sint sicut ego, & tu unum sumus, ita & hi unum sint. Ego enim & tu unum sumus propter Deum ex Deo, & propter coëssentialitatem in Deitate, &c. In Deitate igitur Pater & Filius unum, in humanitate Filius & discipuli unum, ita ut adducantur discipuli propter vocationis dignitatem ad inenarrabilem ipsius benignitatem in unam unitatem adoptionis per bonam Patris, Filii & Spiritus sancti voluntatem.* Athanas. orat. 4. contra Arianos tom. 1. p. 164. *Ego*, inquit, *in illorum perversitate animi nihil video, nisi irrationabilem improbitatem & Diabolicam vecordiam, ac par est, ut & ipsi pro Diaboli more loquantur, Ascendamus in cœlum & similes erimus Altissimo, quippe qui ea, quæ pro munere & gratia donantur hominibus paria esse velint cum donatrice divinitate, &c. Audientes siquidem ex Salvatore, ut sint unum, quemadmodum & nos, sumtâ per errorem nimiâ ferocitate, existimant se ita futuros, ut Filius est in Patre & Pater in Filio, nihil interim videntes, ex istiusmodi opinatione ruinam Patris sui Diaboli esse conciliatam.* pag. 265. *Ex rebus divinis similitudinem hominibus decerpens Salvator ait, sitis misericordes, ut Pater cœlestis misericors est. Dixit illud non ut essemus tale aliquid, quale Pater est, quod fieri nequit, cùm creaturæ simus & è nihilo conditi, sed ut respectu beneficiorum ejus quæcunq; bona facimus, non propter homines, sed propter illum faciamus, ab eo non ab homnibus mercedem captantes, &c.* pag. 266. *Non igitur, ut nos essemus, qualis ipse, dictum est ab eo, ut unum sint, quemadmodum & nos sumus, sed ut quemadmodum ille, utpote Verbum in Patre suo est, ita quoq; & nos aliquâ similitudine & rudi formula* τύπον τινὰ λαβόντες *dum in eum respicimus, efficeremur unum, unâ inter nos & mutuâ concordiâ animi & Spiritus unitate, &c. Ut enim filii, non autem ut ille Filius, & ut Dii, non autem ut ille ipse Deus, & misericor-*

des

des veluti Pater, non ut Pater, sed ita unum sitis, quemadmodum Pater & Filius, non quod futuri sumus, ita ut Pater naturaliter est in Filio aut Filius in Patre, sed pro nostra Natura, & quatenus fieri potest, ut inde formulam similitudinemq; mutuemur, discamusq; nos oportere unum esse eâ ratione, quam in miserendo didicimus, &c. quæ omnia latiùs ibidem pertractat & eruditè exponit August. lib. 2. contra Maximinum Arianum cap. 12. statim in princ. *Admonui te, ut proferres, quâ divinâ autoritate sit dictum, quod unum sint, ubi substantiæ sunt diversæ. Tu autem respondere ad hoc volens, nihil tale proferre potuisti, sed magnis coarctatus angustiis affirmare ausus es, quod Apostoli unum sint cum Patre & Filio, quod Christus omninò non dixit. Sic enim abs te dictum est, tanquam Pater & Filius & Apostoli unum sint, Christus autem non ait, ut ipsi & nos unum simus, sed ait, ut sint unum, sicut & nos unum sumus, &c. Cùm toties dixit, ut ipsi & nos simus unum, h. e. nobiscum sint unum, sed aut in nobis dixit, aut sicut nos, id est, ipsi secundùm Naturam suam, nos secundùm nostram. Volebat enim eos, qui Naturâ unum erant, in hoc ipso, quod unum erant, esse perfectos. Non enim quia dicit, estote ergò & vos perfecti, sicut Pater vester cœlestis perfectus est vult illos Naturæ unitate conjungere, tanquam illorum & illius una eademq; Natura sit, sed perfectos vult esse in Natura sua, sicut Deus perfectus in sua quamvis diversa non una, quod nisi in ipso simus omninò esse non possumus.* Similia occurrunt apud Ambr. libr. 4. de fide cap. 2. & alios Ecclesiasticos Scriptores.

27. Reliqua objecta minoris sunt momenti. Enidinus in detorsi. h. l. præter scopum & sequentem clausulam, de quibus jam antè dictum, objicit nobis confessionem Erasmi, Calvini, Bezæ, Hemmingii & aliorum, qui fateantur hîc agi de consensu, non essentiæ aut Naturæ unitate. Resp. 1. illos non agnoscimus pro nostris. 2. quidam ex ipsis Calvinianis de essentiæ unitate vi veritatis convicti locum accipiunt & à Jaducho suo hîc discedunt. 3. cùm Photiniani Patrum vetustissimorum & probatissimorum autoritate premi nolint, cur Calvinianorum Interpretum expositiones nobis objiciunt? Erasm. in annot. & in Apol. præter collationem unitatis testium in cœlo cum unitate testium in terra & locum Apostol. 1. Cor. 3.

5. Autoritas quorundã Interpretũ.

v. 8. urget expositionem Augustini contra Maximinum & Glossæ interlinearis, in qua de consensus unitate dictum explicetur. Sed Augustinus interpretationem illam potiùs rejicit & insectatur, ut constat ex libr. 2. contra Maxim. cap. 10. libr. 3. cap. 14. & 22. &c. Glossa interlinearis essentiæ unitatem non excludit, sic enim habet. *Hi tres unum sunt, id est, unus Deus de eadem re testantes.* Est qui sic excipit. *Si de unitate essentiæ Apostolus loqui voluisset, debuisset dicere. Et hi tres sunt unus sc. Deus. Jam verò dicit sunt unum, ergò non respicit ad Dei unitatem.* Resp. verbis Bernhardi l. d. *Non possunt dici unus, Pater & Filius, quia ille Pater & ille Filius est. Unum tamen dicuntur & sunt, quod una omninò illis & non cuig; sua substantia est.* Et postea. *Cum adjectione tamen etiam Pater & Filius saniſſimè dicuntur unus, verbi causâ unus Deus, unus Dominus & qnicquid aliud est, quod ad se quisq; & non ad alterum dicitur, siquidem non est illis diversa divinitas sive majestas, non magis quam substantia, vel essentia, vel Natura, &c.*

7. Confessionis de Trinitate necessitas.

27. 7. Deniq; ex hoc dicto colligi potest *confessionis de Trinitate necessitas.* Photiniani statuunt, quantum ad essentiam Dei attinet nihil esse scitu ad salutem necessarium, quàm sex illa capita, *quod Deus sit, quod sit tantum unus, quod æternus, quod perfectè justus, quod perfectè sapiens & perfectè potens.* Catech. Racov. p. 25. Ostorod. Instit. cap. 3. p. 28. unde existimant non esse articulum fidei ad salutem scitu necessarium, ut qui tres in una Deitatis essentia personas statuat, nec errorem suâ Naturâ damnabilem, si quis Trinitatis mysterium neget. Socin. in lib. quod Evang. se Photin. conjungere debeant pag. 28. nostram de Deo unitrino sententiam refert inter eos errores, *qui per se æternam salutem non adimunt, quamvis facilè impediant, quò minùs quis viam, quæ ad eam ducit, rectè cognitam habeat.* Idem in solut. scrupul. resp. ad 8. p. 37. ex literis Constantini Imp. ad Alexandrum Alexandriæ Episcopum & Arium scriptis apud Euseb. lib. 2. de vit. Const. cap. 68. probare cónatur, *Imperatorem sensisse & neutrius sententiam Christianæ religioni adversari & potuisse utrumq; sua sententiâ retenta alterum pro membro Christi & fratre suo agnoscere.* Schmaltz. contra Ravensp. pag. 60. *Unde hoc didicit eum ser-*

ſervatum iri, qui Trinitatem ipſius confiteatur, cùm nemo non videat poſſe illam opinionem ſine vera in Deum & Chriſtum fide ut & veram in Deum & Chriſtum fidem ſine illa opinione conſiſtere. Huic errori præter fundamenta in prælectionibus adducta, quod is, qui myſterium Trinitatis negat 1. à vero Deo aberret, utpote qui in Scripturis ſacris ſic deſcribitur, quod ſit Pater, Filius & Spiritus ſanctus. 2. vero Deo honorem debitum detrahat, *qui enim non honorat Filium ſicut Patrem, is nec Patrem honorat* Johan. 5. v. 23. 3. Deum non habeat Epheſ. 2. v. 12. 1. Joh. 2. v. 23. & 4. à ſalute excidat Joh. 17. v. 3. 1. Joh. 5. v. 11. opponimus pronunciatum Apoſtolicum, quod expoſito trium in cœlo teſtium de Chriſto teſtimonio ſubjungit verſ. 10. *Qui non credit Deo, mendacem facit eum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt de Filio ſuo,* ex quo ita colligimus. Quicunq; Deum facit mendacem, is amplectitur errorem cum fundamento fidei pugnantem & ſalute propterea excidit. At quiſquis negat myſterium Trinitatis Deum facit mendacem. Ergo amplectitur errorem cum fundamento fidei pugnantem & ſalute propterea excidit. Aſſumtum probatur. Qui non credit teſtimonio, quod Pater teſtificatus eſt de Filio, is facit Deum mendacem. Qui negat myſterium Trinitatis non credit teſtimonio, quod Pater teſtificatus eſt de Filio. Ergò qui negat myſterium Trinitatis facit Deum mendacem. Major propoſitio diſertis verbis extat in textu Apoſtolico. Minor conſtat ex omnibus quæ hactenus ſunt diſputata de veræ Filii Deitate trium in cœlo teſtium teſtificatione demonſtrata & de trium perſonarum ὁμοουσίᾳ & conſubſtantialitate.

29. Atque ita monſtravimus hactenus uſum hujus dicti Johannæi de tribus in cœlo teſtibus δογματικὸν, eumq; duplicem διδασκαλικὸν ſcilicet ac ἐλεγκτικὸν. Uſus practicus itidem poteſt ſtatui duplex νουθετικὸς, ut trium illorum in cœlo teſtium, Patris ſcilicet, Verbi & Spiritus ſancti teſtimonio firmiter credamus, nec patiamur nos ab illa fidei confeſſione, quâ credimus Jeſum Chriſtum eſſe verum Dei Filium & verum hominem, Mediatorem, Redemptorem ac Salvatorem noſtrum, ullis λεπτολογίαις καὶ δόλογίαις corruptæ rationi adblandientibus

2. USUS hujus dicti practicus.

Rom. 16. v. 18. nec ullo periculorum metu abduci, cùm sit talium testium assertione roborata ac confirmata, qui sunt omni exceptione majores, qui in veritate asserenda sunt constantes & invariabiles, cùm in essentiæ divinæ unitate sint immutabiles; & παρακλητικὸς, ut in omnibus mundi persecutionibus, Satanæ tentationibus & carnis nostræ dubitationibus firmâ illa consolatione nos erigamus, Jesum Christum θεάνθρωπον esse nostrum Mediatorem ac Salvatorem divino eodemque firmissimo testimonio comprobatum ac beneficia ipsius in verbo Evangelii & Sacramentis nobis oblata verè ad nos pertinere, adeoq; nos in ipso Dei gratiam, peccatorum remissionem, justitiam & vitam æternam habere, id quod Spiritus S. non solùm in verbo confirmat & obsignat exteriùs, sed etiam in corde nostro testificatur interiùs, sicut pulcerrimè dicit Apostolus noster. *Qui credit in Filium Dei, testimonium habet in seipso.*

Conclusio generalis. 30. Concludimus hujus dicti explicationem Oratione Nazianzeni, quæ extat sub fin. orat. 2. de pace p. 212. ed. Bill. ὦ τριὰς ἁγία καὶ προσκυνητὴ καὶ μακρόθυμε. μακρόθυμος γὰρ ἡ σὴ τοσοῦτον ἀνεχομένη τῶν σε τεμνόντων. ὦ τριὰς ἧς ἐγὼ κατηξιώθην καὶ λάτρις εἶναι καὶ κῆρυξ ἀνυπόκριτος, ὦ τριὰς ἡ πᾶσι ποτὲ γνωσθησομένη τοῖς μὲν τῇ ἐλλάμψει, τοῖς δὲ καὶ λάσει. δέχοιο καὶ τούτους προσκυνητὰς τοὺς νῦν ὑβριστὰς καὶ μηδένα ζημιωθείημεν, μηδὲ τῶν ἐλαχίστων. *O sancta & adoranda & longanimis Trinitas, longanimis enim es, quæ eos à quibus scinderis, tamdiu toleras! O Trinitas, cujus ego ut cultor ac minimè fictus præco essem dignus habitus sum! O Trinitas omnibus aliquando vel per illuminationem, vel per pœnam agnoscenda, utinam hos quoq; qui nunc contumeliis te afficiuntur adoratores accipias, nec quenquam, ne ex minimis quidem amittamus, &c.* Tibi sit benedictio & honor & gloria & potestas in secula seculorum, Amen.

AD

AD CLARISS. & PRÆSTANTISS. Dn. M. ISAACUM
Fröreiſen, SS. Theol. Cand. meritiſs.

PHotini *nomen* ſi ſpecto, *dogmaq́* ſpecto
Cum Paulo exclamare lubet: *Sociatio quænam*
Luci cum tenebris? Chriſti conventio quænam *2. Cor. 6.*
Ad Belial? Faculas *illud* lucemque coruſcam *verſ. 14.*
Præ ſe fert: ſtygiis aſt *hoc* ſcatet uſq; tenebris.
Cogito id, & *nomen* Photini, *dogmaq́*, *lucem*
Cum ſpiſsis *tenebris* ſtudeo ſociare⏑. Studenti
Organon electum Chriſti ſuccurrit: & *Orci*
Præſulem in Angelicam lucem ſe ſæpè mutare⏑
Edocet. Hinc *nomen* Photini ac *dogma*, tenebras *2. Cor. 11.*
Cum lucis radiis facilè eſt conjungere⏑. Nempé *v. 14.*
Dogma tenebroſum ſplendenti nomine, veſte
Ceu pulcrâ ornatum eſt. Satanas ſe lumine veſtit
Angelico, & ſtygiam claræ ſub nomine lucis
Doctrinam ſpargit. Nempè hic eſt Dæmonis auſus,
Quo Chriſti tenebris cœtum obvolviſſe laboret.
Quàm benè, quàm pulcrum præſtas, *Vir Clare*, laborem,
Dum duce (qui nobis fax eſt præclara) *Gerhardo*
Cimmerias luci tenebras exponis apricæ,
Impia Photini quas gens offundere mundo
Tentat. Sic quantum Photini à dogmate diſtet
Nomen: Sic quantum ſplendenti à luce tenebræ
Diſtent, ſic quantum à ſpiſſis erroribus abſit
Illibata ſacri doctrina voluminis, imis
Ex fundamentis veri, *Vir Lucide*, monſtras.
Hoc ita dum præſtas, cœptum decurrere famæ
Pergis iter, laudemque tibi *Vir Clare* mereris.
Hoc ita dum præſtas, cœptum decurrere honoris
Pergis iter, cœtusque ſacri, *Vir Clare* mereris
Obſtrictos animos, quos nulla oblivio, nulla
Temporis avellet merita à tibi laude vetuſtas.

Amico & Fautori perquam charo ἐχιδίαζεν
M. Salomon Glaſſius Sondershuſ.
SS. Theol. Stud.

FINIS.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468678-p0050-0

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468678-p0051-6

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468678-p0052-1

1531792

K2617302

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468678-p0055-8

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-468678-p0056-4

D. O. M. A.

DISPUTATIONIS THEOLOGICÆ

Ex dicto Apostolico

1. Joh. 5. v. 7.

Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt:

PRÆSIDE

JOHANNE GERHARDO

S. THEOLOGIÆ D. ET P.

in Academia Jenensi,

Publicè institutæ

PARS POSTERIOR

MYSTERIUM ὑπερφυίας Τειάδος

ex eo asserens

Cujus defensionem 29. Maii

In Auditorio Theologico suscipiet

M. ISAACUS FROEREISEN Argentoratensis, Ampliß. Facult. Philosoph. Adjunctus.

JENÆ

Typis TOBIÆ STEINMANNI.

Anno M, DC. XIX.